

2. D. B. V.

DE

STATV LIBERORVM
DV B IO

& *illegitimo*

CONSENSV

MAGNIF. ORDINIS IVRIDICI

PRAESIDE

GEORGIO SCHVBARTO, D.

POES. ET ELOQV. PROF.

IN AVDITORIO IVRIDICO

A. D. 1771

DISPV TABIT


IO. DANIEL Krauß

ROTENBVRGENSIS

AVCTOR ET RESPONDENS.

LITTERIS VVERTHERIANIS

CIO IDC XCIII.



STAVIN LIBERORUM

DVBIO

et Magistro

CONSEJO

REGIO

ROYAL

GEORGIO SCHVARTZO, D

POET ET REGO PROE

IN AUDITORIO IURIDICO

DE

PROFESSOR

IO. DANIEL

ET

DE

DE




I. N. L.

Discessurus ex hac academia in aliam
Noribergensium Palacomen, commit-
tere vix potui, quin de sententia
praesertim ac voluntate illorum, qui-
bus rationem otii liberalis reddere
debeo, specimen ederem, pro captu
ingenii, ac profectu studiorum. Le-
ne sic eris id ipsum, quale est tyrocinium. Neque tamen
curo, quidquid ex aduersa parte sentiant, quibus mens est
scaua, quique nihil admittunt, rectumve putant, nisi quod
ipsi fecerunt. In praesenti argumento, si quid desideratur
ab iis, qui toto die in foro & curiis obambulant, illi sci-
ant, me huc fuisse ab aliis perductum. Si enim res mei
arbitrii fuisset, haud dubie aliquid in puluere designassem,
ubi quotidie exercemur. Fateor itaque, vires transcende-
re meas, tam fertile, tamque copiosum in iure iudicioque
argumentum. Qui dubitat, mente saltim repetat, qua
per tot volumina Practicorum sparsa sunt de filiatione,
eiusque probatione: quanta sit hac rite probata seges in
alimentatione? Ita vero loquuntur. Neque potest altera
sine altera pertractari: quia obligatio utrinque est na-
turalissima. Qui enim pater esse noscitur, & filium ge-
nerauit, eundem quoque curare, fouere, educare debet,

non tam exemplo animantium, ubi satis aperte capimus, quorsum per aëlis sociales impellantur, quam hominum, qui recta ratione utuntur, inque conscientia ad amorem partus obstringuntur. Id duntaxat nobis moras ac difficultates obiicit, quod sapius non constat de genitore, utut semper certa sit genitrix. Ibi plures admissi ærogædri, liberos relinquunt æxatægs: heic vero demonstrari citra bastationem potest mater, quæ partum edidit. Feltmannus ad l. 23 ff. de statu hom. Utrobique sunt, respectu expositionis ac suppositionis, varia circumstantia, sunt in legitima adsumptione & emancipatione plura adhuc, quæ expendi merentur. De quibus tamen velut in transitu, Deo cooperante, breuiter acturi sumus.

§. I.

 N principio nobis occurrunt vocabula, quibus vsus sumus, in dissertationis rubrica: quæ sicut ab aliis prolixè traduntur & explicantur, ita nulla tenet nos anxia sollicitudo circa eadem. Faciunt hoc, qui putant, sese nondum visâ & audita cum orbe erudito communicare. Quandoquidem vero dixerimus, materiam hanc esse vulgatam, ac practicam, quis eius ignoraret terminos? Immo originum doctores, inter quos passim laudantur Becmanni, Martini, Vossii, aliivæ alium sane vsus præstant, neque huc semper vocari debent.

§. II.

Non tamen sine ratione quis vrgeret forte, non heic vel alibi spectandum esse, quid egerint per nugas suas, & male intellectas voces, antiqui glossographi, de quibus Muretus VII *variar. cap. XI.* & *cap. VI Observat. juris p m 227.* itemque B. Zieglerus *cap. VI Rabulist.* ubi de fordida forensium eloquentia: sed an termini sint artis, & ab antiquis prudentibus vsurpati. Tritum est, nihil

hil magis in iure personarum, quam quod de *Statu* quaeratur. Vlpianus *l. 7 ff. de ventre in poss. mitt.* placet omnes controuersias, inquit, quæ quasi *Status controuersiam* continent, in tempus pubertatis differri. Vel ex vnico hoc Iureconfulti loco adparet, quod *Status* sit quædam personæ qualitas ciuilis, & quidem heic, quatenus in certa domo aut familia subsistit persona: inde *controuersia Status* partui mota inuoluit id, vt dignoscatur, an quis ad hanc vel illam familiam pertineat, inque sacris illius ac bonis ius habeat. Addatur tamen *l. 8 ff. de statu bon.* vbi Titus Antoninus rescripsit, non lædi *statum liberorum*, ob tenorem instrumenti male concepti.

§. III.

Pura non cumulamus, vbiuis obuia, quod sic pateat abunde, antiquis deberi hanc notionem. De *liberis* iridem pauciora. In genere, horum adpellatione & primi gradus liberi i. e. filii filiaque, & secundi gradus i. e. nepotes, neptes, pronepotes, proneptes intelliguntur, *l. 220 ff. de V. S.* in qua Callistratus addit: hos omnes Lex Tabularum *suos* appellat, siue qui viuo patre in eius potestate adhuc & familia erant. Wissenbachius *disput. fin. ad prior. ff. §. 19.* De liberis *ex se natis*, an & sub iis veniant, qui sunt vltioris gradus? Franzkius *III resol. 1 n. 388. seqq.* Si caussa sit odiosa, nomine filiorum & filiarum, nepotes neptesque non veniunt. Stukius *conf. I n. 147.* In vernacula lingua id peculiare est, quod notat Modestinus Pistor. *conf. LII n. 43. vol. 2.* Ob wolsin das Lateinische nomen liberorum omnes descendentes begreiff/ so achten wir doch nicht / daß das Wort Kinder in unser Sprach auch so weit gehe/ oder ein collectiuum sey/ wie bey den Römern. Videantur rationes.

ones in sequentibus: item apud Altorfinos *in responsio*
XVII p. 437.

§. IV.

Ulpianus *dubium statum* semel iterumque *l. 1 ff. de*
ventre in poss. mitt. significat v. g. vbi omnino *iuste du-*
bitari poterit, an ex eo prægnans sit. Ante paullo vsus
erat vocabulo *incerti*, quod eodem sensu adhibetur vul-
go. Subiungit mox: ne *præiudicium fiat parvi*, ex con-
rouersia nimirum status. Hinc & *præiudicialis actio*
quando de statu hominis quæritur, an seruus, an liber
est? an filius aut filia sit? & vtrinque qualitas conditio ac
status adseritur contra dubitantes. Dicitur autem *præ-*
iudicialis, quia ius de statu dubio prius certum fieri de-
bet, quam de alimentis agatur, siue etiam bonis ex he-
reditate petendis. Addatur Dn. Schilterus *exerc. III, 19.*
eqq. de filiatione dubia, & vnde iudicetur termineturve
Tuschus *Tbes. præct. litt. f. concl. 344.*

§. V.

Postquam certi sumus de legali significato verbo-
rum in titulo, propius ad rem accedimus, ac de statu li-
berorum dubio quærimus, an idem sit, an varius? Si il-
lud foret luculentum, quod nimirum in singulis eadem
obtineret ratio, conditio dubia, siue patrem spectare-
mus, siue matrem, & quod, parentum intuitu, nulla
monstrari posset differentia, tunc utique facilis esset de-
scriptio. Verum negari haud debet, quin dubius in par-
tu status ex utriusque parentis contemplatione æstime-
tur. Ille in vulgo quæsitus nullo modo sciri potest: qua-
re & *pater incertus* adpellatur. Theophilus *in pr. de in-*
uentis: ὡς περὶ ὁ ἐξ ἐλευθέρου μητρὸς, καὶ ἀδελφὸν πατρὸς,
ἐπίσιν διὰ πονείας πυχθείς. Fabrotus ibidem addatur. Hæc
a partu supposito fraudes suas habet non raro, & amat.
Inde

Inde *suppositi partus* crimen l. 10. C. ad L. Cornel. de fals. & alibi sæpius occurrit.

§. VI.

Iam vero regula est sapientum: *quæ sunt diuersa, illa communi aliqua definitione non possunt comprehendi*, aut etiam describi. Quidquid tamen sit, faciemus periculum, vt in genere duntaxat maiorem affundamus rei licem: *Status liberorum dubius est qualitas ciuilis per quam de natiuitate illorum sumus incerti*. Operæ pretium ducimus, ea circa genus repetere, quæ modo de statu dubio attulimus. Zasius eleganter ad tit. de statu hom. n. 2. Status nihil aliud est, quam conditio & habitualis qualitas v. g. liberum vel non liberum esse, nobilem vel ignobilem esse. Subiungit statim: a statu veniunt *statu liberi*, qui sunt in habitu libertatis, quamuis actu serui sint. Sic posses nominare *statu Doctores*, qui post examina sunt in habitu doctorandi: sed insueta est vsurpatio. Ita quidem Zasius. Addatur de statu liberis Grotius II de I. B. cap. v §. 30. Græci de statu & conditione seruorum agentes, vocabulo *τύχης* vtuntur, siue fortis, omnino ex præsentis significatu, quo quis ex conditione sua ac forte diiudicatur.

§. VII.

In differentia notauimus, quod status hic dubius & incertus pendeat a lege ciuili: quare & adpellatur *qualitas ciuilis*. Naturaliter enim omnes homines liberi nascuntur. *ἡ γὰρ φύσις πάντας ἐλευθέρους ποιεῖ ἡγάξαν.* Theophilus §. 3 *Inst. de iure pers.* quorsum facit l. 32 ff. de R. I. quod ad ius naturale attinet, *omnes homines sunt æquales*. Aliter se res habet in ciuitate Romana, vbi per sortem atque conditionem suam differt seruus, qui non est capax iuris ciuilis, ab homine ingenuo & ciue, itemque filius

filius aut filia, quatenus non potest demonstrare parentes, a partu certo & genuino. Manet igitur hic status qualitas a iure imposita, secundum quam in societate civili tribuitur ius cuique suum: aut si dubius fuerit, qualitas incerta civilis, vnde pariter de conditione iudicatur eius, qui natus est irregulariter. De naturali statu Pufendorfius *II de iur Nat. c. 2.* de civili iungatur Hoppius *ad princ. Inst. de iure pers.*

§. VIII.

Quando autem status, tanquam qualitas, requirit de natura sua, vt inexistat alteri, tanquam subiecto, videbimus porro, quodnam sit illud? Nemo dubitabit, quin de liberis prima sit quaestio. Atqui nec ista pertractari rite potest, nisi de illis constet, vnde liberi descendant. Sic enim patet ex vtraque parte, quomodo prius cohaereat ac posterius. Parentes dicuntur, ex quibus liberi procreantur: & quidem si naturalem spectamus vim, requiritur *mas & femina*. Adeo non curamus quid alii velint heic, aut tracentur potius de *viro ac muliere*, quasi illa nomina conueniant magis animantibus, & sic nimis putentur vniuersalia. Aristoteles conferatur *I Polit. cap. II. X.* ibidemque Piccartus.

§. IX.

Iustinianus tertē *Nou. XVIII cap. II.* ad sexus vtriusque vires inditas a natura, refert generis humani propagationem, & quidem aequaliter. Id quod sufficit nobis. Quae enim requiruntur de iure aequali inter homines, illa quoque noscuntur de iure sexus humani naturaliter requiri. Non igitur potest admitti Venus praepostera, de qua *l. 31 C. ad L. Iul. de adult.* addatur *die P. 5 D. ars. 116.* quia contra naturam eiusque intentionem agit. Huius exempla praestant, Sodomitae, Tribades, Gommorrhazi,

rhæi, sicut ex Diuino iudicio apud Paulum intelligimus
I Rom. v. 26. 27. Textor cap. III Synopsis. iur. gent. n. 6. 7.
Memorabilis in hanc rem canon est *XI caus. XXXII qu.*
VII ex Augustino de promptus. Plura habet Dn. Schilte-
rus *cap. IV pbilos. iur. §. 35.* Casus ac sententias exhibet
Carpzouius *quæst. crim. LXXVI.*

§. X.

Hæc quidem habent se ita, ex naturæ instituto, aut
quatenus contra illud aberratur. De iure ciuili atque
conamuni hodierno, ne quid aduersus iustum ac legiti-
mum partum fiat, cauendum est omnino. Personas ita-
que coniungendas ex vtroque sexu per varias rationes
describunt legislatores Romani. Inter præcipua requisi-
ta erat olim ius ciuitatis. Seneca *IV de benefic. cap. 35.*
promisi Tibi filiam in matrimonium: *postea adparuis*
peregrinus. Non est mihi cum extraneo connubium. Ex-
traneus, qui & peregrinus dicitur, quod esset extra ciui-
tatem Romanam, vel ideo non poterat filiam ducere ci-
uis, quia non particeps erat beneficiorum, ex iure ciuili
redundantium in coniuges. E. gr. In liberos, ex se natos,
non habebat patriam potestatem, ex qua status familiæ,
respectu liberorum, intelligebatur potissimum, *arg. l. 3 ff.*
de his qui sui vel al. iur. deinde nec legatum ipsi relinqui,
aut ex testamento heres ipse fieri poterat *l. 1 C. de hered.*
inslit. Verum hoc obtinuit vsque ad tempora Antonini,
qui omnes in orbe Romano effecit ciues *l. 17 ff. de stat.*
bon. Sic igitur qui natus erat antea ex peregrino, quasi
in statu dubio semper erat, nec honoribus gaudebat ac
iuribus Romanorum, donec impetrasset ciuitatem. Plu-
tarchus notat simile ius apud Athenienses *in Pericle p. 172.*
quod nati e ciue & peregrina habiti sint pro illegitimis.
Hodie satis est, si quis fuerit Christianus, nullo habito

discrimine, an sit ciuis Romanus an Germanus: modo ne sectetur religionem omnino prohibitam. Hinc neque Iudæus ducere potest Christianam. *l. 6 C. de iudæis & cælic.* Coniungatur de infidelibus Grotius *II de I. B. c. xv, 10.* Locamerus *Quæst. xxiii Iustin.*

§. XI.

Ex hoc principio fluit porro, quod nec seruus cum libera, vel ciue Romana ius habuerit connubii. Ratio fuit eadem, quod omni destitueretur communionem iuris, atque huius contemplatione pro mortuo haberetur. Seneca iterum *epist. XLVII.* Seruo nulla intercedit cum domino amicitia, *nullum iuris commercium:* immo quia ille semper in statu dubio est, nec patrem certum ostendere potest, ideo nec nuptias contrahere potest. Tabor *ad tit. 3 Collat. iuris Rom. & Francofurtiensis. §. xi.* vbi autem non sunt nuptiæ, ibi nec pater demonstratur *l. 5 ff. de in ius voc.* item vbi pater incertus est, ibi & partus est spurius. Ex seruo igitur & libera quondam non procreati sunt naturales, sicut opinantur aliqui, quia inter personas eiusmodi ius concubinatus non erat. Alii tamen *spurios* hosce matris contemplatione *ingenuos* malunt adpellare. Brunemannus *ad l. 3 C. solut. matr.* in matrimonio putatiuo cum primis, siue vbi seruo nupsit ignorans libera, quem pro ingenuo habuit. Moribus hodiernis, postquam seruitus inter Eropæos est sublata, Dn. Schilterus *exerc. III ad ff. in pr.* perinde non attenditur, num quis in statu & conditione seruili, an in statu libertatis existat? nec libera persona sit serua amplius. *arg. l. f. C. de agr. & cens.* nisi quod in quibusdam Germaniæ locis propter adscriptitios libera, si prædio mariti defuncti potiri velit, ad statum quoque mariti obligetur. Meuius *Wom Zustand der Bauern qu. xxv n. 144. seqq.* Eyben

ben *dissert. 11 ad Inst. obs. xi Feltman ad l. 19 ff. de Stat. bom. n. 7.* Vbi de propriis Westphaliæ hominibus: Ist die antretende Person freyes Standes/ muß sie sich eigen geben.

§. XII.

Ratione ætatis, quæ soleant requiri, aliunde constat abunde. Nos in præsentî tam accurate singula non pertractamus, quia vel tribus monuisse sufficit, vnde status liberorum dubius oriatur. Si ætas est iusta, secundum præcepta legum, & in reliquis desideratur nihil, iustæ quoque erunt nuptiæ. Si non est iusta ætas, partus non facile expectatur: vbi tamen per naturæ vires ederetur, tunc respicitur ad eundem, an extra matrimonium sit editus, & ex congressu reprobat? an ex aliis causis origo sit repetenda dubia? vt scilicet ad certam familiam referri nequeat. Non desunt qui exempla nobis præbent impuberum, quatenus sæcundiores aliis fuerint. Sed ea parum nos mouent, quippe aliorum pertinentia. Addatur Io. Hugo a Linschotten *parte 11 peregrinationum in Indiam Orient. cap. 36.* Tempus, iustis nuptiis aptum, a suprema potestate ciuili, pro regionum atque climatum, pro incolarum maturiore aut etiam tardiore pubertate, statui posse non dubitatur. Nuptiis maturioribus, per legem naturæ, parum aut nihil ob stare, quo minus hinc nati sint legitimi, docet *l. c. Textor n. 10.* vbi & de partu senum. De partu illorum, qui sæculum prope exegerant, in comitatu Kerfordiensi apud Anglos, peculiaria commemorat scriptor miraculorum naturæ vernaculus, *disc. 1 von hohen Alter des Menschen p. 13.*

§. XIII:

In propinquitate sanguinis tam naturalia iura, quam ciuilia & positiua hominibus certas præscribunt regulas,

ne coniungantur promiscue. Barbaros nouimus in coniugis parum firmos atque constantes: qui tamen abhorrent per naturam a carne propria. Lineam ascendentem & descendentem adpellant vulgo. Io. Lerijs *de nauigatione in Americ. cap. xvii.* Nemo inquit, eorum *in uxorem ducit aut matrem, sororem, itemque filiam.* addatur Grotius *11 de I. B. v, 12.* vbi & rationes profert, cur tale matrimonium repugnet naturæ. Præcipuæ sunt, naturalis pudor, ac reuerentia, quibus saluis conmixtio tam illicita fieri nequit. Regula est: in nuptiis pudor spectatur & honestas *l. 14 item 42 ff. de ritu nupt.* Ius ciuile hoc in casu magis magisque extendit ius naturale, circa partum legitimum, qui certa ratione opponitur dubio, quatenus nimirum sub nomine *parentum ac liberorum* eos quoque admittit, qui non saltim ex natura ducunt originem, sed ex ciuitate pariter e. gr. per adoptionem & susceptionem de baptisinate *l. 26 C. de nupt.*

§. XIV.

Quoties igitur, ex tali congressu, aut cognatis adeo personis, in statu licet uiuant coniugali, & quidem per errorem liberi nascuntur, ex nuptiis incestis ac nefariis dicuntur nasci. Qui differentiam ostendunt inter utrosque, illi distinguunt lege inuita. Addatur *Non. 12.* Illud haud possumus inficiari, quod nefariæ & incestuosæ nuptiæ ex duplici rursus capite astimentur. Quæ inter parentes & liberos contrahuntur, sunt contra ius naturæ: aut si procul his, siue extra figuram matrimonii, congressus fiat prohibitus inter ascendentes & descendentes, tunc partus editur *contra natura pudorem* eiusque dictamen. Vulgo dicitur in hoc crimine adinitti, *eine Blutschande.* B. Zieglerus ad *14 Lancel. tit. 11x. n. 5.* Quando autem inter personas, de iure ciuili non coniungendas, ob propinquitatem nimiam,

miam, tale forsitan crimen occurrit, e. gr. in linea collaterali, tunc *incestus civilis* adparet, *eine verbotene/unordentliche Vermischung* / maxime si concurrat adulterium vel stuprum. Rittershusius *parte IV Nouell. cap. 2. num. 31.*

§. XV.

Discrimen inter naturale crimen incestus atque civile est, quod ibi a pœna nulla detur excusatio. Quæ eum sunt contra naturam, eamque præcipientem, in his nulla admittitur dispensatio. At quid sentiendum de casu, quem B. Lutherus proposuit? Erfordix mater cum filio rem habuit, ignaro tamen illo, ac putante sese cum ancilla ex pacto congredi. Nascitur ex maligno incestu filia, quam alibi educatam recipit mater in suas ades, ac loco ancillæ iubet seruire. Filius eam reputans peregrinam mox nubilem ducit. In confessione tandem, conscientix morsu stimulata, mater delictum aperit, ac seriam agit pœnitentiam: quare collegii theologici assessores afflictæ noluerunt afflictionem imponere amplius, immo neque auctores fuerunt, vt matrimonium hoc ex ignorantia, quamuis contra naturam, contractum rescinderetur. Manlius *in loco de confess. p. 94.* An & heic res iudicata sit pro veritate habenda? occasione data, in conflictu demonstrabimus. Aliter se res habet in civili incestu, vbi facilius est remissio. Carpzouius *II Iurispr Eccl. def. CIX.*

§. XVI.

Hactenus quidem allata pertinent eo, vt iustas non tantum nuptias, sed & partum legitimum discernere possimus ab illegitimo pariter ac dubio, *l. 3 ff. de his qui sui vel alien.* Quicumque enim in statu sunt dubio, illi constituantur extra patriam potestatem, neque iuribus gaudent

dent eiusdem *arg. pr. Inst. de patr. pot.* Elegans atque definitiuus in hanc rem textus est in *l. 6 ff. de his qui sui vel al. iur.* quod scilicet is filius sit ac pro tali habeatur, qui ex viro legitimo & vxore eiusdem, h. e. ex legitimo matrimonio natus sit. Contra autem talis non habetur, qui extra hunc statum prodit in dias hæcæ luminis auras. Hoppius *ex l. c. ad pr. Inst. de patr. pot.* concludit: Quicumque probat, se natum esse ex præcedente iusto matrimonio, ille simul probat, se iustum esse filium. Additur hoc procedere *ciuilitèr* & quatenus in matrimonio nihil potest desiderari, secundum iura præscripta. Iure enim naturali, quamuis iustæ non sint nuptiæ, tamen liberi in potestate sunt parentum, ac reuerentiam illis debent, sed effectibus iuris patrii destituuntur, quos ciuitas Romana superaddidit. Patriam potestatem, ex iure communi, hodiernum quosdam habere effectus, probat Dn. Strykius, *in usu moderno ad ff. de his, qui sui vel al. §. 3. & seqq.* Harprecht *de separatione liberorum familias ab æconomia paterna.*

§. XVII.

Post nuptias, ex pudore naturali, immo & ab ipso DEO prohibitas, ratio habetur proxima honestatis. Nihil autem magis putatur ex isto consensu, quam si nuptiæ pro fine suo primario agnoscunt coniunctionem animorum h. e. affectionem maritalem, vnde potissimum illæ, tanquam iustæ ac legitimæ æstimantur. *fac. l. 30 ff. de R. l.* vbi, per exempla, impuberes rursus non admittuntur, quia nondum capiunt, quantum sit bonum in coniugio maritalis affectio. Solent enim ex mero impetu, & ad libidinem explendam agere. Addatur B. Zieglerus *ad 11 Lancel. tit. xi n. 3.* Aliud est, si desponsentur impuberes, quo casu matrimonium, ab initio contractum, est inualidum: quod tamen conualescit per annos pubertatis.

tis. Sed & ius patriæ potestatis non cadit prius in eiusmodi homunciones, nisi post emancipationem, per quam omnino fiunt sui iuris. Immo licet in generatione patres certi videantur, tamen quia consensus ex contrahentium & parentum quoque studiis non raro deficit, ideo liberi erunt in statu dubio.

§. XVIII.

Contra finem matrimonii primarium impingebant similiter apud Romanos illi, qui liberos procreabant non ex affectione maritali, sed ex impura consuetudine, ac libidine cum focariis, amicis, & concubinis. Paulus *l. 4 ff. de concub.* Concubinam *ex sola animi destinatione* æstimari oportet. Destinatio animi hoc loco non per consensum explicari debet, siue appetitum voluntatis ordinatum, qui iustas facit nuptias, sed per adpetitum quem vocant irrationalem, ac sensitivum, qui voluntati sæpius prædominatur. Addatur Dn. Eisenhart §. *vi de princip. atque differ. action. human. sub fin.* Cicero *II Tusculan. p. m. 144.* Animus, inquit, in duas partes distribuitur, quarum *altera rationis est particeps, altera vero expert.* De hac intelligendus est Iureconsultus, non de illa, exemplo Græcorum qui *ἡμὸς* simili adhibent significato, eique opponunt *Ἀλόγους*. Hinc & femina describitur concubina, quæ sine nuptiis vivit in alterius domo, siue quæ matrisfamilias nomen sustinere non potest. Gœddeus *ad l. 144 de V. s. n. 5.* item Dn. Schilterus *Exerc. XXXVI. 129.* AELius Verus de concubinis vxori conquerenti respondebat: *patere me per alias exercere cupiditates meas: vxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.* Spartianus *in vita illius cap. 5.*

§. XIX.

Qui nascebantur liberi, ex tali amore ac destinatione,

ne, vulgo *naturales* tantum adpellabantur, nec erant in statu familiae, quia non concepti per iustas nuptias, atque ex his nati fuerunt *l. 19 ff. de stat. hom.* naturales autem vocantur quia sola in illis natura spectatur, non lex ciuilibis, a qua non adeo probantur. Rittershusius *part. VII Nouell. cap V. n. 2.* Iam vero qui in nulla est familia, ac matrem habet concubinam, quae inuito patrono discedere, & alteri sese dare in concubinatum potest. *l. 1 ff. de concub.* ille etiam de patre non immerito dubitat. Liberi igitur, in dubio statu, ventrem i. e. matrem sequuntur, non patrem. Sicut autem olim ex hac ratione nihil arrogare sibi poterant ex iure familiae paternae, ex dignitate eiusdem ac statu, ita nec possunt hodie id naturales, praecipue si pater sit illustris persona, nec idem adhibere sigillum, nec insignia debent. Tiraquellus *cap XV de Nobil. n. 13 seqq.* propter natiuitatis maculam. Habent enim in ciuitate, in qua viuunt, cicatrem aliquam, non aliter quam illi, qui a vulnere sunt curati. Iungatur Mylerus *cap. XXIII gamalog. illustrium. §. 2.* Dn. Strykius *ad tit. ff. de his qui sui vel al. in usu moderno §. 8.* Immo si naturales liberi vsurpauerint arma & insignia patris, cogi possunt, vt ea deponant. Argentoratenses *conf. XCV n. 50, seq. vol. 1.* Pfeilius *conf. LXXVIII, n. 161.*

§. XX.

Obiicere quis posset exemplum Philippi Boni, Burgundiae Ducis, qui ex diuersis feminis octo procreauit naturales filios, eosque prouexit ad dignitates praecipuas. Filius huius Carolus Pugnax, cum genero Maximiliano Caesare, eosdem receperunt in ordinem aurei velleris. Immo tunc magna in ortu felicitatis pars erat, si quis audiret *magnus Burgundiae Bastardus.* Nic. Rittershusius *in Comment. ad tit. 28 ff. de grad. cogn. p. m. 27.* Neque sunt igno-

ignoti honores Ioannis & Alexandri Farnesiorum, e fo-
rore illegitima Philippi II Hispani natorum, quos ille pa-
riter ornauit torque aurei velleris. Sic & Henricus IV
Gallus aliique ex amicis natos, non opibus tantum &
regni dignitatibus, sed & infulis ac prouinciis auxerunt.
Verum heic non spectatur amor ac libido, sed sanguis in
rege ac potestas summa. Aliter se res habet in ciue, aut
vasallo, qui secundum leges obstringitur. Dn. Strykius
l. c. itemque dissert. 1 de success. ab intest. c. 2. n. 45.

§. XXI.

Cum bastardis, inter priuatos quidem, conueniunt
spurii, qui nascuntur patre incerto. Differunt autem a
naturalibus, qui vnicum duntaxat agnoscunt genitorem,
si proprie illos contemplari velimus. Spurii contra vul-
go concipiuntur, aut ex *vulgiuaga* quaruntur venere.
Neque patrem habere censentur: quia is tantum est,
quæra iustæ nuptiæ demonstrant *l. 5 ff. de in ius voc.* Sed
neque certum habere possunt, ob numerum eorum, qui
cum meretrice cohabitant. Poeta eleganter: *cui populus
pater est, non habet ille patrem.* Ac philosophus apud La-
ertium in vitis: non magis tu hæc scire potes, quam *se
supra aceruum spinarum incederes, ac dicere velles, quæ
spina te violassent.* Addatur Scipio Gentilis libro *originum
singul. p. m. 241.* Menagius *cap. 39 amœnitat. iuris ciu.
p. m. 357.*

§. XXII.

Quamuis autem inter spurios quondam, & natura-
les liberos, magna esset differentia, quatenus hi medium
obtinerent locum, inter legitimos & illegitimos: spurii
contra simpliciter illegitimis adscriberentur, non obsta-
te, quod neutra ex parte competeret ius patriæ potesta-
tis. Hodie tamen, sublato concubinato, per Imperii con-

stitutiones, imprimis *ordinationem politicam de anno 1548 tit. 25.* illa naturalium prerogatiua simul est sublata. Concubinatus enim æque damnatur hodie, quam illicita scortatio quælibet. Levven *parte 1 Cynof. for. lib. 1 cap. 3. n. 9.* Parum igitur refert, an quis ex meretrice ac vulgiuaga, an ex alia persona honestiore, modo natus sit extra iustas nuptias. Per has quippe dignoscitur status liberorum, an sit legitimus, an sit illegitimus. Palæotus *cap. 3 & seqq. de nobis ac spuris.*

§. XXIII.

Ad illegitimos hinc etiam pertinere volunt eos, qui prius nati sunt, quam consensus accederet paternus. Nuptiæ enim a filio contractæ, ignorante ac dissentiente patre, de iure civili, longe deterioris erant conditionis; quam concubinatus: quare & femina talis pro scorto, liberi æquales habebantur spuris. Franzkius *exerc. 2 qu. 5. n. 8.* Quærent interim: an non per consensum patris, eiusque ratihabitionem, ex interuallo accedentem, nuptiæ ab initio pro iustis reputentur? Plerique negant omnnes, adeo ut non nisi a tempore ratihabitionis demum liberi honesti ac legitimi generentur. AEquior est sententia illorum, qui aut matrimonium, inconsultis parentibus contractum, non prorsus volunt ipso iure nullum esse, Dn. Schilterus *exerc. III, 12.* aut ratihabitionem eius naturæ esse arbitrantur, ut ad principium cuiusque actus retrahatur, & sic præcedentem ex consensu defectum suppleat. Huberus §. 10 *Inst. de nupt.* Alii aliter.

§. XXIV.

In statu quoque dubio sunt quibusdam liberi septimo mense nati *l. 12 ff. de stat. bern.* Tempus æstimatur, ac ratio dubitandi a iustis nuptiis celebratis. Paulus *IV sentent. tit. 9 n. 5.* requirit, ut septimus mensis sit plenus. Aliter

Alio decernit Vlpianus auctoritate Hippocratis *l. 5 ff. de suis & legit.* quem cum Paulo conciliat in notis Cuiacius. Hodie prudentes non attendunt veteres amplius, siue in tempore conceptionis, siue natiuitatis: quia satis est, liberos esse natos in iusto matrimonio *l. 11 C. de natur. lib.* Conf. Richter *decis. LXXX n. 13.* de quibus vere dicitur: **daß Sie aus einem reinen/ keuschen/ und unbesleckten Ehebett erzehlet und geböhren worden.** Immo, si paucis diebus a nuptiis edatur partus, coniuges quidem anticipati concubitus poenas luunt: nihil tamen inde decedit legitimitati partus. Dn. Strykius §. 13 *de stat. bom. in usu moderno.* Mornacius ad *d. l. 12 de statu bom.* de septimestri obseruat ex Festo, quod non male dicatur *exterrineus*, item *exterraneus*, quasi partus a matre exterrita ante tempus eiectus.

§. XXV.

Non sunt ignoti clericorum filii, siue illorum, qui voto sese ad castitatem obstrinxerunt. Rittershusius *l. c. p. 30.* ita eos describit: Sacrilegi dicuntur liberi, quorum pater aut mater, conceptionis tempore, sacro voto erat initiata, aut alia ratione sacris addicta. Hi vero perinde in statu familiae esse non possunt, quia nulla, per congressum eiusmodi prohibitum, societas coniugalis producitur. Tuschus *in thes. pract. lit. f. concl. 343.* clericorum filios refert inter spurios. Calixtus de vagis libidinibus cleri, imprimis post coelibatum, inter sacros homines introductum, memorabilia exhibet *de coniugio clericorum p. 433 seqq.* Iungatur relatio *de arcanis Iesuitarum*, ac *speculum vite humane*, lib. 2 cap. 19. vbi hæc leguntur: *una non sufficit vni: nec retentam duntaxat in domo habet uxorem, sed concubinas pariter & adulescentulas, quarum non est numerus.* Speculi auctor est Rodericus, episcopus

Zamorensis Castellanus & Referendarius Pauli II P. M. Neque sunt melioris conditionis isti liberi, quam *adulterini*, ex aliena vxore procreati: quia violatur id, quod tam sancte promissum erat. Sunt vero adulterini non ex eodem censu diiudicandi. Alii enim sunt ex adulterio duplicato oriundi, siue quorum pater est maritus, mater quoque alterius vxor, *welche Ehebruch/ item Oberhurererz treiben*. Alii patrem agnoscunt coniugatum, matrem vero solutam, *welche Unzucht treiben*. Addatur Dn. Schilterus *exerc. XLIX §. 96.*

§. XXVI.

Expositi liberi in statu sunt maxime dubio, quia parentibus non cognitis, de libertate etiam dubitatur, an ex ingenuis, an ex seruis nati. Tertullianus *cap. x Apologes*: quorum genus incertum est, eos vulgo appellamus *terra filios*, quasi ex terra ortos. Interim tamen negari vix potest, quin ab ingenuis quoque expositi sint liberi vel ex paupertate, vel ex auaritia, propter alimenta publice constituta. Romani sane cum liberos haberent ac susciperent plures, quibus alendis non sufficiebant impensa, quosdam illorum exponebant, sub impia specie, quod eos hoc modo non interficerent contra regulam: *non alere est interficere*. Malo huic emendando intentus fuit Traianus, de quo in panegyrico Plinius *cap. xxvii*: magnum educandi incitamentum est, *tollere liberos in spem alimentorum*. Item: *pauperibus educandis vna ratio est bonus princeps*. Optimum hunc principem superauit Christianus Imperator primus Constantinus M. de quo Eusebius *lv in vita eius c. xxviii*. Iac. Gothofredus *ad l. i C. Theod. de expositis*.

§. XXVII.

Sed neque pauperes tantum & ingenui suos exponebant

nebant liberos. Meretrices & impudicæ matronæ id facinus patrabant sæpissime. Et ab his quidem expositi commendabantur benignæ sorti, sub certis signis, ut si perniciem euasissent, atque translati essent ad fortunam meliorem, agnosci possent aliquando facilius. Neque his terra placuit sola, in qua exponerent liberos, ubi canibus, feris bestiis, & diris obnoxii forent alitibus: sed & aquis committebant, unde Tiberis multorum patria fuit in vrbe dicta. Verum ita pessime consulitur felicitati partus, si non tam fortunæ & misericordiæ alienæ, sed mortis atque summis periculis exponitur. Heraldus *1 digress. cap. 8 p. 206.*

§. XXVIII.

Nec sunt melioris ordinis ac sortis liberi suppositi, ut statim in manu sint illorum, qui alimenta præbent, & cuncta, quæ sunt ad vitam tolerandam necessaria. Isto crimine nihil fuit omni tempore intolerabilius, nihil execrandum magis: quia diuturna erroris opinione falebantur patres, & filium educabant, qui genitorem agnoscebat alienum, expositum prius, deinde suppositum. Casum non dissimilem legimus apud Quintilianum, *de declam. cccxxxviii*: ubi quidam ex repudiata vxore filium habebat, aut potius videbatur habere. Secunda post eiectam primam, cum filio hoc priuigno lites ex litibus protraheret: quorsum accessit, quod pauper quidam hunc suum assereret filium, & huius nutrix torta fateretur expositum. Ab hoc autem statu adsumptus erat ille, per repudiatam, incio marito. AERodius addatur *ad b. l.*

§. XXIX.

Hac in parte nos partum suppositum non tam vocamus illum, quando constante matrimonio quis alteri procreat liberos, de quibus modo egimus in *adulterinis*, & paullo post in dubiis ex spatio temporis acturi sumus:

sed eos potissimum intelligimus, qui a matribus, vel per-
mutantur ob sexus amorem, vel omnino subiiciuntur,
quasi ex se nati forent, propter spem improbam heredi-
tatis, atque successionis. Neque enim putant mortales,
aliter se magis impedire posse agnatorum, aliorumque
vota, quam si fraudem istam committant. In veteri co-
mœdia dicitur: *celare partum*, eo quidem fine, vt vel ex-
ponatur, vel supponatur. Dn. Huberus memorabilem
describit casum §. 4. *comm. ad tit. de agnosc. Et al. lib.*
pag. m. 291. & addit: nuper in alio magis illustri thea-
tro probationem immediatæ natiuitatis exhibitam vidit
mundus: an sic satis fidelem, distulit fama, tam ficti pra-
uique ferax, quam nuntia veri.

§. XXX.

Ex allatis hucusque patet omnino, quis status libe-
rorum sit illegitimus atque dubius. Neque erimus pro-
lixiores in subiecto declarando, cui qualitas hæc status il-
legitimi dubii inexistit. Plures enim superessent casus,
si Romanorum scita imprimis, contueri propius, & ex-
qui singula vellentus. Sed neque communem observa-
bimus methodum, per causas diffusam in præsentî ni-
mis, & operosam. Thecibus certe paucis absoluerè cogi-
tata nostra constituimus: quod animi propositum de-
inceps mutare nefas esto. Quoniam vero ex tali statu
pauca restant, ideoque ad illa breuiter, inque transitu
veluti conuertemur, ne potiora omisisse dicamur.

§. XXXI.

Liberi constante matrimonio nati, siue quorum pa-
trem iustæ nuptiæ demonstrant, in statu dubio esse non
possunt: quia legitimi sunt atque certi *l. 5 ff. de in ius*
voc. Interim dantur exempla, per quæ dubitatur, etiam
durante coniugio, de legitimo partu. Sic, qui paucis
men-

mensibus post nuptias editus fuit, apud Romanos, & quidem perfectus, illum agnoscere maritus & alere non debebat *l. 12 ff. de stat. bom.* immo licet sexto mense natus esset, si præcise inherere velimus contextui ac sensui legis. Feltmannus tamen *cap. 2 de iure in re §. 29 & seq.* indubium atque certum hunc partum esse vult, ex dierum mensiumque computatione, ac decisione *l. 3 ff. de suis & leg. her.* quod nimirum dies centum octoginta duo sex menses non compleant, si præcipue consuetudo Germanorum obseruetur, apud quos in dubio semper triginta dies pro mense accipiuntur. Mynsingerus *centur. VI obs. 40.*

§. XXXII.

Antea paullo §. *XXIV*, ex Richterero ostendimus, in honeste nato, tempus conceptionis non tam in foro attendi, quam natiuitatis, siue an quis constante iam ac perfecto matrimonio natus sit. Huic enim tantus fauor tribuitur, vt prope ex incerto ac dubio partus fiat certus. Anglorum moribus hoc probat Dn. Huberus §. *4 ff. de agn. & al. lib.* & quidem ex Meterani historia Belgica *lib. XIV.* vbi de legibus & institutis gentis illius notat, quod, si vir ducat viduam ignarus pragnantem ex alio viro, infans eius proprius sit. Item si quis puellam ducat ignarus ab alio impletam, quod tunc proles viri propria sit atque heres. Videtur hoc ius antiquissimum esse, sicut ex Fleta agnoscimus *l. iuris Angl. cap. 6.* Si vxor tua ex alio filium procreauit, presumendum est, quod tuus est filius, eo quod nuptiæ probant filium, donec contrarium inde probetur. Ratio desumpta est *ex l. 5 ff. de in ius voc.*

§. XXXIII.

Præter istum casum est alius *in l. 6. de his qui sui vel*

vel alieni inv. de eo, qui assidue cum vxore sua moratus est, neque tamen filium ex illa natum vult agnoscere. Scæuola cum Vlpiano existimat, virum dubitare non sine ratione: quod vxor generare non potuerit, infirmitate mariti interueniente, vel alia caussa, per quam ad prolem generandam fuerit inidoneus. Neque enim putant tunc valere consequentiam: hic post iustas nuptias, hic in domo paterna natus est, ergo est filius. Regula sic ex lege formanda, vt firmiter ex ea concludatur: filius est, qui ex viro & vxore, ad matrimonium contrahendum idoneis & habilibus, iisque assidue cohabitantibus, matrimonio constante natus est. In tali passu addunt practici: filius ita conceptus natusve, constante matrimonio, habetur pro legitimo, licet adulterata sit mater. Fortior enim est præsumtio legis, per quam nuptiæ patrem demonstrant, licet maritus castitatem vxoris & pudicitiam habeat suspectam. Addatur B. Lauterbachii *conclus. forens. exerc. 17, 5.* Mornacius *ad b. l.* refert sententiam decisiuam parlamenti Paris. qua reiiciebatur testamenti articulus: *instituo heredes filios gnati mei, si probent, se esse legitimos eius filios.* Plura alibi *ad l. 83 ff. de condit. & demonstr.*

§. XXXIV.

Cum eo, qui per infirmitatem corporis, siue naturalem caussam est inidoneus, ad generationem hominis, proxime conuenit absens per tempus longinquius. Idem haud dubie est, siue quis præsens sit, ad generandum tamen inhabilis, siue absens sit. Vtrinque enim militat eadem ratio, quod nulla scilicet consuetudo inter coniuges fuerit, ad prolem suscipiendam requisita. De infirmitate interim sunt, qui in contrarium eunt, nec omnem morbi probationem admittunt promiscue: quare & nos caus-

causam naturalem sufficientem requirimus. Non a decennio incipiemus explicare casum, sed a spacio decem aut plurium mensium. De hoc enim perinde dubitatum fuisse, quam spacio mensium breviori, ex controuersis prudentum certi sumus, itemque ex sententiis interpretum naturæ. Addatur Rauchbar *parte 2 quest. 24 sub fin.* Agellius *III Noct. Atticar. cap. XVI.*

§. XXXV.

Antiquam sane litem intelligimus ex *l. fin. C. de post. hered. instit.* vbi pater ita testatur: filius vel filia, *si intra decem menses proximos a morte mea nascentur*, heredes sunt. Quamuis longissimum tempus hoc sit, quo partus in utero matris esse possit, ac de illo dubitetur interdum, tamen pater id pro legitimo agnoscit, & Imperator confirmat: vtut *Nou. 39 cap. fin.* partum mense vndecimo editum vocet *mirabilem, impium.* Nos in præsentem quærimus: an maritus per decimestre absens, & reuersus partum inueniens, eum pro suo debeat agnoscere? Si mater per coniugii tempora vixit pudica, casta, laudata, sine omni suspicione, non deerunt, qui eam absoluant, & propter famam integram meliora pronuncient. Sandius *IV decis. tit. 8 def. x* casum exhibet de partu edito mense duodecimo ab obitu mariti, qui propter virtutes maternas pro legitimo sit habitus, & ad successionem admissus. Addatur Menochius *II A. I. 29. cas. 89 n. 40. & seqq.* item Franzkius *disp. II ad L. Gallus membr. 2 sect. 6.* atque B. Struuius *exercit. III §. 4.* Moribus igitur hodiernis recedimus, quoties vidua non potest conuinci de turpi & inhonesta vitæ consuetudine, a Nouella citata. Rittershulius *p. Nou. cap. XIII.* Contra si causæ satis fundatæ sint, deteriora suspicandi de muliere, decimestris non tantum, sed & duorum adhuc mensium absentia,

multo magis facit ad partum eiusmodi dubium habendum, ac reprobandum. Videndus D. Huberus §. 3. de agnosce. & al. lib.

§. XXXVI.

Decennii casum habemus. itidem *in l. 6 ff. de stat. hom.* qui tamen ingenii causa potius, atque ex lusu proponitur, quam ut serio agatur ibidem. Non quidem negatur, quin sapius euenerit, ut patres reuersi ex itineribus aliquot annorum, & expeditionibus diuturnis, inuenerint liberos per domum reptantes & incedentes, quos agnoscere pro suis minime debebant, quia hi per conditionem matrimonii, & mariti necessariam iustamque absentiam, legitime nasci non poterant. At quando in lege dicitur ab Ulpiano: *singamus absuisse maritum uerbi gratia, per decennium & reuersum inuenisse anniculum*, siue unius anni filium, tunc hisce uerbis per absurdum quasi declarare uoluit, quod partus legitimus esse non possit ille, qui ita natus deprehenditur. Nihil adeo differt iste ab adulterino. De anniculo, quis ille uocetur proprie, conferatur Ant. Augustinus *in emendat. cap. vi.*

§. XXXVII.

Hæc quidem sufficere possunt, de casibus dubii status, matrimonio constante: ubi tamen *ex l. 3 ff. de agnosce. & al. lib.* adhuc noetur, aliud esse, si filius quidem dicatur natus post nuptias, & aliud si disceptatur, an mater fuerit uxor? Ita uero locus est præiudicio, respectu matris, de qua dubitatur, an fuerit legitima? principalis autem quæstio est de statu filii. Si in præiudiciali actione demonstratur, quod legitima fuerit uxor, cum qua & nuptiæ sint contractæ, & quod constante matrimonio natus sit partus, de quo disputatur, postmodum in principali quæstione, facilis erit decisio. Interim si forte im-

pube-

puberi mota est controuersia status, vi edicti Carboniani manet in possessione vel quasi, ad tempus vsque pubertatis: qua de re alibi pluribus.

§. XXXVIII.

Vnicum in matrimonio casum, de statu natorum dubio proponemus. Mater peperit gemellos, ex quibus debet succedere primogenitus: iam verò a tempore partus vsque ad successionem nemo vel cogitauit de primogenitura, vel hunc illumve primogenitum demonstraui. Incerti adeo sunt ac dubii non solum, qui tempore natiuitatis affuerunt, sed ipsi quoque fratres iura prioritatis ignorant. Fundamentum huius casus ponunt in *l. 15 ff. de stat. hom.* vbi tamen hæc est differentia, quod mater Arethusa sit serua: item quod parturienti conditio sit adscripta, si tres pepererit. Quidquid autem sit huius, id parum in applicatione attenditur. Tiraquellus *quæst. xvii de primogenitura*, varios describit modos, quibus hæc difficultas possit superari, vel per sortem, vel gratificationem, vel per alienationem, vel admissionem vtriusque. Tali casu emergente arbitramur, illum modum esse præstantissimum, quem iudex, omnibus circumstantiis probe expensis, de sententia prudentum adhibuerit.

§. XXXIX.

Extra matrimonium dubius adhuc status liberorum adparet, qui tamen sine matrimonio concipi mente non potest. Fecit nimirum quis diuortium cum vxore sua, quæ mox grauidam se esse sentit post discessum. Queritur: cuius hic sit partus, & an patrem sequatur, an matrem? Ulpianus ex SCto Plautiano respondet *l. 1 cit. tit.* Mulier grauida, aut si recidat in potestatem patriam, ipse pater intra triginta dies, post diuortium connumerandos, marito, vel eius quoque parenti, si in sacris viuat eius-

dem, coram aut si hoc fieri nequeat, ad domum, vbi lar est, siue vbi habitat, aut hospitium contraxit, legitime denunciaret. Sic autem facta denunciatione, si non habet causam negandi maritus, custodes mittere debet ad ventrem custodiendum, ne supponatur partus. Si non miserit, neque contra denunciauerit, prolem & agnoscit, & alere debet. Ex vsu hodierno iungatur Dn. Schilterus, *exerc. XXXVI, 125. seq.*

§. XL.

Præmissa explicatione subiecti, velut per exempla atque casus, vnde status adparet dubius & illegitimus, proximum iam erit, vt iura hinc emergentia cognoscamus. At neque id statim procedit. Sunt parentes ita sæpius comparati, vt liberos abnegent, siue inficientur, hos illosve ex se natos esse. Non in statu legitimo, siue matrimonio duntaxat constante, verum & inter naturales, spurios, adulterinos & incestuosos, hoc ipsum omni æuo frequentatum, ad pœnas euitandas, aut incommoda quotidiana declinanda. Quam miseri autem, quamque neglecti, in tali statu sint teneriores, experientia docet? inprimis quod onus probandi incumbat his, quoties profitentur se esse legitimos. Couarruias *parte 2 de matrim. §. 3 in pr. p. m. 228.* Antequam igitur ad iura progrediamur, quæ singulis pro statu suo competunt, de modo probandi statum, ac filiationem, sicut vulgo loquuntur, pauca adferemus.

§. XLI.

Quemadmodum vero alias cum philosopho distinguunt Iureconsulti, inter probationem artificialem & inartificialem, ita sunt porro, qui peculiariter, in filiatione probanda, requirunt aut necessaria argumenta, aut probabilia. Mascardus *concl. DCCLXXXVIII in pr.* id non obscure

scire significat, quando affirmat de matre, quod illa certa semper sit, nempe hunc vel illum partum esse proprium, item quod neque propter conscientiam facti dubitare possit: pater contra non nisi coniecturas & præsumptiones habeat, ex quibus de filiatione argumentetur. Mantica VIII de tac. & amb. cond. tit. XIV num. 5. 6. in hoc casu probationis monet, quod si deficient proximæ & immediatæ causæ, sufficiat minus firma & coniecturalis probatio. Gratianus discept. forens. DC. l. III n. 80. ex Baldo triplicem constituit filiationis probationem, veram scilicet a modo argumentandi, necessariam quoque dictam, inde probabilem & præsumtiuum: quam Menochius ante ipsum, II d. I. 2. casu LXXX, 3. repetierat ex fonte eodem: licet membra diuisionis posteriora reduci possint ad vnum facillime.

§. XLII.

In artificiali, siue necessaria filiationis probatione, quæ fieri debet argumentis, ex ipsa causa deductis, matrem solam nominant laudati doctores, & illius exemplo tanquam irrefragabili vtuntur. Quis vero dubitaret, quin pater etiam ex naturali & necessaria causa argueret, probaretve, si ita concluderet: Quicumque filius, me per decennium absente in domo mea natus est, ille non est filius meus. Ratio proxima & immediata est, quod nulla causa generationis posita, nulla quoque generatio fieri queat. Iam vero Aurelius Piso me per decennium absente in domo mea natus est. E. Minor ex eo probatur, quod redux pater inuenerit Aurelium trimulum, Addatur Iulius n. 3 de agnosc. & aliend. lib.

§. XLIII.

Neque parum est præsidii in l. 5 ff. de in ius voc. quod pater sit, quem iustæ nuptiæ demonstrant: quor-

sum & filii descriptio facit *l. 6 ff. de his qui sui vel al. iur.* quod alius non sit, quam ille, qui ex viro & vxore eius nascitur. Ex legibus istis præsumtio tam valida est pro marito, vt partum vxoris, cum qua vixit consuetudine honesta, & affectione maritali, pro suo debeat agnoscere, & quidem citra ambages: quia in tali statu honestum præsumitur magis, quam inhonestum. Gailius *ii obs. 97. n. 2.* neque creditur matri, vtut affirmet contrarium, aut neget hunc esse filium legitimum. Brunnemannus *ad l. 29 ff. de probat. & præsumpt.* aut etiam iuret. Lauterbachius §. 1x *de his qui sui vel al. iur.* immo de adulterio profert aliena & turpia, vel eiusdem conuicta sit. Couarruias *parte 2 de matrim. §. 3. n. 10.* vbi & id affirmat, quod pro partu legitimo pronuncietur in statu coniugali, etiam si coniux vterque negauerit: modo constet de cohabitatione, quod in domo fuerint. Interim hæc est præsumtio non demonstratio, quæ pertinet ad filiationis probationem alteram. Hahnus *n. 4 ad Wesenb. de agn. & al. lib.*

§. XLIV.

An vero ad patrem magis, quam matrem spectet hæc probatio, quæritur? Si legum verba inspiciamus, de patre concipiuntur. Is enim demonstratur ex nuptiis, quidquid deinde sit habendum de moribus vxoris. Quia autem ex legibus fit probatio, tanquam ex testimoniis productis, illa est inartificialis, siue brachii leuioris. Leges quippe ciuiles non superant in probando causas naturales, i. e. proximas ac necessarias. Recte igitur diximus, ex legibus allegatis fieri præsumtionem: contra quam tamen admittitur probatio, si forte maritus quædam habeat argumenta non spernenda, *arg. l. 6 ff. de his qui sui vel al. iur.* imprimis vbi femina tam honestæ vitæ non fuerit. Meuius *parte 3 dec. 37.*

§. XLV.

§. XLV.

Matrem semper certam esse aiunt, in filiatione probanda: quod ita accipiendum, vnicam esse illam, quæ pariat, aut si de illa dubium forte nascatur, ex Romanorum sollicita prudentia custodes adhiberi posse, ac ventrem inspicere. Neque aduersatur huic sententiæ, quamvis vulgo conceperit, ac pudicitia fuerit tam profligata, vt lassata viris, nunquam satiata recesserit. Dn. Strykius §. 7 de his qui sui vel al. iur. in vsu moderno. Sola tamen adhuc manet & vna, quæ partum sustinet, non ex matre naturaliter, sed ex patre dubium: qui in tali statu i. e. meretricio atque prostibulari, nunquam certus esse potest. Filiatio igitur quoad matrem non quoad patrem demonstratur. Et quamvis Menochius l. c. arbitretur, filiationem necessariam probari minime posse, id tamen respectu patris tantum intelligitur præcipue: mater autem demonstrari semper potest, quamvis aut *κατ' ἀδύνατον* sponte fecunda, sicut Bartholdus Nihusius in dissertatione quadam, de periplo Hannonis docuit, aut magicis præstigiis imprægnata fuerit. Palæotus cap. XXI de nobis & spuris §. 7. seq.

§. XLVI.

Hæc ita satis liquida putantur & indubitata, præsertim quod ad patrem attinet, in sensu negatiuo demonstrantem, quod per absentiam genitor esse nequeat. Alia est quæstio de ipso, an in domo cum vxore assidue cohabitans, de partu certus esse possit? Palæotus l. c. p. m. 134. statum quæstionis ita format: an quis se filium certi patris vere possit probare? intelligit autem per veram probationem, quam supra artificialem, itemque necessariam diximus. Fluctuat & iactat, quod sibi multa occurrant, quæ ceteri non attingerint, tandemque concludit:

cludit: ego veritatem reiectis subtilitatibus amplector, in eamque transeo sententiam, vt coniecturis tanrum filiorum natales quoad patrem dignoscantur. Quid autem hoc est aliud, quam pios & christianos mores coniugum vocare in dubium? Si pudor naturalis atque honestas perpetuæ sunt intimæque affectiones iustarum nuptiarum, cur ita in luto hæret atque tricus? aut cardinalis Palæotus ipse sibi male conscius fuit in natalibus, aut mores spectauit hominum cum quibus vixit, quando ex communi, eaque magis recepta, sicut addit, singulorum hominum ex iustis etiam nuptiis procreatorum, natales fecit dubios.

§. XLVII.

Melior longe est sententia Decii *n. 24 ad rubr. de probat.* quod instar demonstrationis habeatur, siue probationis veræ, si coniecturæ sint legitimæ. Dubitat quidem de coniecturis, quæ variæ sunt, in genere consideratis, sed vbi ex lege habent auxilium, tanquam ex principiis iuris, dubitari non posse amplius arbitratur. Ex his vero non aliter quam ex luculentis dogmatibus concedit, patrem demonstrari posse. Largiuntur id ipsum omnes, qui bonos mores non ignorant, atque sciunt, cum quibus in statu coniugali viuant. Quæ enim cardinalis exempla dedit de incarceratis, item de imbre aureo, quo cum & fabulas iungere similes possemus, deque artibus magicis, quibus vigilantissimi mortalium falsi sint, deliria sunt, ac somnia, non probationes. Sic neque huc faciunt testimonia poetarum, quia inuehuntur in seculi genium, neque sufficiunt casus alii, vnde lucem foenerari studet vir tam pius & sanctus. Nos enim de probatione natalium in statu coniugali certi sumus, quod ea non debeat institui ex corruptis æui moribus, sed ex hone-

honestate publica, id est, statu perfectissimo, qualis modo intendi & obtineri potest.

§. XLVIII

Inter hæc tamen neque diffitemur cum aliis probationem filiationis per tot furta amorum, per tot hominum artes, omnino difficilem esse. Menochius *II A. I. Qq. LXXX in pr.* Non replicabimus heic, quæ in arcanis habentur: nec efferemus, quæ secretis arbitris gesta sunt. Neque enim hæc sunt de instituto nostro, nisi per faturam videretur satis conueniens monstrare, quæ ambigua sint mortalium aucta circa casum in matrimonio dubium existentem. Itala mulier domi erat cum homine pro more gentis suspicacissimo in causis matrimonii. Enixa fuerat infantem, pulcritudine formæ, ac reliquo corporis habitu scitum, elegantem, amabilem. Adduci vix poterat maritus, ut crederet tam insigne priuilegium naturæ per se datum. Verba adiecit: dimidia bonorum parte cederem, si constaret mihi adeo de filio, quem admodum nosti tu, filium hunc esse tuum. Vxor ingeniose respondebat: faciam ego te compotem voti, si vel mediocriter dederis mihi munus. Maritus adhuc incertus pollicetur id stipulanti, quæ vocatis agnatis & sponsione interposita, natum adducit, moxque in brachiis sustinet, ex viro quærens: ane hic filius meus est? affirmanti porrigit statim, per verba: en igitur hunc meum dono, ut sit tuus non alienus. Sic vero iudebat in seriis, nec infacete propter mariti inconstantiam ac dubitationem, qua non opus erat, apud pudicam scilicet & inculpantem uxorem. Aliud statuendum, si de consuetudine cum extraneis, deque adulterio suspecta fuisset. Vtrobique ad vitæ instituta & mores attenditur, & sic denique iudicatur in partem benignam, vel deteriorem.

Transimus ad præsumptiones & coniecturas, vnde filiatio probatur. Quas alii differentias ostendunt inter præsumptiones & coniecturas, tam sollicitè heic non obseruamus, studiosi breuitatis. Illud fundamenti loco ponimus, in dubio præsumptiones locum habere, e. gr. si vxor quædam egerit familiariter nimis cum altero, immo suspecta sit de integra pudicitia, liberos tamen peperit, magis est vt præsumamus, hos esse mariti, quam alterius. Menochius *l. c. n. 22.* velut per regulam concludit: *in tali casu benignior ac fauorabilior præsumptio valet*, siue vt Io. Bapt. Pontanus *cap. 3 de alimentis num. 7.* ait: præsumptio hæc est efficax, *si filius adsertus in domo viri natus fuerit.* Conclusionem alii formant ita: in dubio semper pronunciandum est pro matrimonio. Atque hæc ita sese habent præsumptiue in statu vxoris deteriore. Quanto melior erit præsumptio in statu matrimonii, vbi notant omnes, honeste coniuges vixisse. Hinc in litteris natalitijs generatim ad vicinorum testimonia prouocant: *Dietweil Wir denn die Warheit zu befördern schuldig und geneigt / haben Wir vler unserer erbaren Mitbürger / und redlichen Personen / vor uns geladen / und Sie auff Ihr End / damit Sie uns Bürgerlicher Pflicht halber verwandt / gefragt / ic. welche vor Uns deutlich ausgesaget / und bekant / wie Sie obgenanten Lucium, und sein Eheweib Mamillam, / viel Jahr gekennet / auch wares wissen / daß Sie als zwen fromme und erbare Eheleut besagten Ludouicum, ihren Sohn / in ehelichen / keuschen Stand und Wesen / allhier in ihrem Wohnhaus / mit einander geböhren / und überkommen.* Addatur Palæotus c. xxix

de nob. & spur. n. 3. itemque Mascardi *concl. DCCXCII*
de probat. ibidemque Niger in additio.

§. L.

Præsumtio hæc, in probanda filiatione nititur eo præsertim, quod quis natus sit in domo viri: quam doctores ita extendunt, vt quamuis maritus extra illam protruserit coniugem, tamen ex ipsa partum agnoscere debeat. Requiritur vero in tali casu, vt tempus absentia, siue expulsionis, ad pariendum sit congruum. Alexander *conf. LXXXVIII lib. 7.* quod fere totum huc pertinet. Sic enim præter causam matrimonii cohabitatio concurrit. Neque fides habetur vxori, quando male affecta erga maritum affirmat, filium non ex illo, sed alio procreatum esse. Nobile exemplum in hanc rem narrat Baptista Fulgosus *ix factorum & dictorum memorab. cap. xi.* de Elisabetha Elisca Lucini vicecomitis vxore, quam iste deprehendit cum Vgolino Gonzaga, neque tamen pœnas ab illa sumisit. Posthac Elisabetha indignata virum, non veneno tantum sustulit illum, sed & Lucinum iuniorem non ex marito, sed ex Galeatio natum esse testata est. Fulgosus addit: cum Lucino quidem iuniore tunc perquam inique actum est: *scelerata enim mulier vita coniugem, imperio filium, se boni nominis honore priuauit.* Quod autem inter illustres foret, tam præcise ex lege ciuili non poterat iudicari. Accedebat quod tot essent alii, qui matris confessionem, siue veram, siue fictam, omnino vertere in sua commoda. Alciatus casum de matre mortura apud Auenionenses *ix parerg. iur. cap. 12* exhibet, quæ liberos vocauit, & quasi in aurem singulis dixit: est inter vos vnus ex adulterio natus. Verum isti satis tuti in foro conscientia, quod omnes ac singuli in domo paterna nati essent, matrem hæc soluerunt cura, deinceps

autem vivere concordēs, nec vnquam allegarunt ex do-
mo propriam turpitudinem.

§. LI.

Quamuis confessio sit alias probatio firmissima : in
præfenti tamen ob malitiam & fraudes mulierum, in o-
diosis præsertim, respectu liberorum non admittitur, nisi
liquidiora proferantur omnia. Ratio dogmatis huius ci-
uilibis, est prudentium commune effatum : *parentum testi-*
monium prodesse liberis, non obesse potest. Ex hoc ipso,
præsumtio nati in domo paterna, superat omnes alias
coniecturas. Palæotus *cap. x x i v de nob. ac spur. xum. 4.*
Non multum diuersa a confessione parentum, aut diffes-
sione etiam opposita, est *nominatio parentum.* E. gr. In
domo sua quis aluit diu filium, eumque semper ita no-
minauit, & inter caritates habuit : immo nomen eius
vsurpauit in litteris ad alios, & pro filio agnouit. Quæ-
ritur : an in dubio filius quis probetur ex hac nomina-
tione ? distinguenda est in tali passu affectio erga filium
ex se natum. Si mores æui spectamus, multi dicuntur
filii, qui esse non possunt. Hæc vero nominatio est vana
& ridicula, quia vt plurimum sine alimentis est, sine pa-
trocinio, sine omni pietate, ac nexu officiorum. Vbi igitur
cum nominatione non concurrit origo paterna & natiui-
tas, parum valet nominatio. Videatur prolixè Mascar-
dus *concl. dccxci.* Ex aduerso nominatio seria ac iudicia-
lis tantum habet roboris, vt nominatum constituat in
quasi possessione filiationis. Menochius *v i præsumt. l i i i.*
n. 37 seqq. An idem obtineat, si quis vulgo quæsitum ita
nominauerit, disceptat Gratianus in forensibus, *c. dcl i i i.*
n. 8. 9. & seqq.

§. LII.

Vim tacitæ nominationis, & sic probationis quoque
habet,

habet, *tractatus parentum*, quem ita vocant, siue quando tractatur quis in domo vt filius, aut filia. Consistit tractatio hæc ex parte liberorum in reuerentia & obsequio, ex parte parentum in alimentis, inque conseruatione & educatione. Tantæ autem est virtutis hæc ipsa, vt ita educatum in quasi possessione filiationis collocet, & onus probandi transferat in negantem. Nouimus enim, per vulgata, quod vbi quis existit in possessione iuris, quod circa personas versatur, omni liberetur onere probationis. Aliter statuendum est, quod attinet ad iura realia, in quibus sola possessio non sufficit, *arg. l. 14 ff. de probat.* Ac videtur adquiri quasi possessio filiationis non solum ex tractatu viui patris, verum & defuncti, quoties ab agnatis proximis, tanquam filius patris mortui quis tractatur. Addatur tamen Bursatus *conf. LXXXIII n. 5. seqq.* In iudicio autem si contrarium non probatur ab eo; in quem onus probandi transierat, manet hic & in possessione, & in proprietate. Pontanus *cap. III de alim. n. 15. 16.* Neque huc pertinet tractatio solius instinctu benigni affectus erga pauperem: hæc enim habet alium finem, & sufficit minime ad probandam filiationem. Gozadinus *conf. XIII n. 17.*

§. LIII.

Equidem præsumptiones istæ ex domo paterna afferrî poterant. Iam erit vt progrediamur ad alias, earundemque vim ac potestatem. In ipso dubio partu, quærunt argumentum, si tam ore, quam reliquo corporis habitu referat patrem. Existimant quippe homines vulgo, similitudinem in vultu liberorum demonstrare parentes. Plinius inter veteres egit præclare de hac re *VII histor. nat. cap. XI. & seqq.* ex recentioribus Rupertus *dissert. VII. ad Valerium Max.* Sicut autem in publicis caussis, in

quibus a regnorum ac principatuum successoribus certabatur ex similitudine formæ, plerumque fraudes patuerunt, & imposturæ malitiosorum. Lipsius *11 monit. & exempl. cap. v n. 6. 7. seqq.* ita pariter in causis priuatorum, inque filiatione probanda sola non sufficere potuit vnquam similitudo in vultu, & *συνουσία* corporis. Sic apud Plinium *l. c.* legimus, quod duo iuuenes, ex diuersis locis orti, inuicem fuerint simillimi. Quis autem diceret, hos eundem habuisse patrem, aut eos ipsos fuisse fratres? Mascardus *concl. DCCXCIII n. 9.* Similitudo, inquit, est fallax, & potest ex multis prouenire causis, nimirum physicis. Ac licet ex ea non recte præsumatur, interdum tamen *aliqualem inducit suspicionem.*

§. LIV.

De fama iam antea, quando de testibus egimus in natalitiis: sed ea de paterna domo, & parentum honesta vita concipiebatur potissimum. Hæc quoque, vniuersaliter ac sola considerata, non semper plenam facit probationem. Cõuarruias *part. 2 de matrim. §. 3. num. 11.* casum proponit, quod ex fama quis pro filio ac partu legitimo sit habitus, cum tamen patuerit mox, ipsum fuisse spurium. Vbi autem non est plena filiationis probatio, ibi neque in quasi possessione quis constituitur. Sunt tamen aliqui, inter quos & præcipuus Menochius *11 A. l. 29. cas. LXXXIX n. 86.* qui ex fama probari posse filiationem opinantur. Atqui hi non solam famam in ore habent, sed vicinorum præterea testimoniis nituntur, & antecedente quasi possessione, in qua concurrentibus aliis circumstantiis est manutenendus ille, cui mouetur controuersia.

§. LV.

Testificatio superest, in probanda filiatione, species

vlti-

ultima inter probationes inartificiales. Non tamen huc reuocamus, quos alibi testes produximus: sed requirimus peculiariter, ad filium legitime natum, vt probetur in dubio per testes, sponsalia fuisse celebrata, sponsam cum sponso toti concioni in ecclesia solenniter esse denunciata, nuptias fuisse peractas, & filium ex honesto matrimonio prognatum. Oritur hoc dubium, quoties migrant parentes, aut liberi extra patriam in terras remotas. Petitur hoc sine testimonium ex libro baptismali, siue eius *partita*, vt loquitur Roias apud Salgadum *decis. 83 ad labyr. credit. n. 2.* quod nimirum Franciscus sit natus ex Olympia, quodque pater Horatius cum patris filium ad baptisterium adduxerit, nomenque partite curauerit inferi. Hæc testificatio id operatur, vt filius, oborta quaestione status, in quasi possessione filiationis maneat. Quæ de probatione filiationis apud Italos obtineant, etiamsi nulla sit controuersia mota, imprimis ubi probanda nobilitas, alibi copiose leguntur.

§. LVI.

Præfertur autem testificatio baptismalis, tanquam insigne ac publicum monumentum, priuatæ scripturæ obstetricis, aut personæ alterius, quæ tempore partus editi se præsentem fuisse testatur. Notabilis est casus Huberi, *n. 4 comm. ad ff. de agn. & al. lib.* Femina quædam peperit Ultraiecti puerum, cuius vir interea propter negotia sua versatur in Frisia, ibidemque moritur, hereditate opima relicta. Dubitabatur de genuino partu. Mater filiationem probat statim, per obstetricem & alias testes feminas, item quod pater ante mortem filium agnouerit. Ex altera tamen parte erant, qui ex codice baptisterij Ultraiectini demonstrabant ex eadem domo, eodemque tempore, puerum eiusdem nominis oblatum esse

esse baptismo, sed non ex matre eadem. Inmo maritus obitricis liquido fatebatur, vxorem suam pecunia corruptam fuisse, vt falsum perhiberet testimonium. Sic vero Iacobus filius pro dubio ac subditio habitus excludebatur ab hereditate, muliere admissa pro iure viduarum in illis terris. Carpzouius *p. 1 c. xvi def. 26.*

§. LVII.

Filiatione probata, siue in matrimonio, siue extra illud, iura tunc varia emergunt, secundum quæ iudicatur, vel de alimentis, vel bonis parentum in successione. De alimentis agendum erit prius, quam de hereditatibus exponatur. Nihil enim tam naturale est, quam hominem natum, prorsus infirmum, & ad se conseruandum inidoneum, curare, fouere, alere, *l. fin. §. 5 C. de bonis que lib.* Argumentum generale, pro obligatione parentum formant ita: per quos DEVS factum generari voluit, per eosdem quoque voluit, vt ille conseruaretur. Iam vero per parentes &c. conferatur Colerus *ii de alim. c. 5 n. 29. 30.* Eichelius *part. 1 de iure, quo naturaliter liberi obligantur & parentes n. 26.* Hic addit: per naturam student homines in singulis partibus suis sese conseruare: iam vero liberos partes esse, nemo vnquam negabit. Ex eodem tamen iure intelligimus, partum non diutius alendum esse, quam sibi possit ipsi de necessariis prospicere. Addatur Grotius *ii de I. B. cap. vii §. 17 n. 1.* Dn. Strykius *memb. 1 de iure reuerent. n. 67 seqq.* Quousque mater in alimentis obligetur, vide apud Hartm. Pastorem *obs. xxiu.* sed quæ adducit, per hodiernam praxin non obtinent.

§. LVIII.

Hæc quidem de alimentis, ex iure naturali debitis, citra differentiam vllam inter legitimos & illegitimos.

Sed

Sed neque de legitimis in presenti quaestio erit. De iure civili constat, quod varie debeantur alimenta illis, qui viuunt in statu dubio. Quid alimentorum nomine contineatur, aut quousque illa possint extendi, perspicue dicitur Scipio gentilis *cap. 2 ad orat. diui Marci de alim.* quæ est *l. 8 ff. de transact.* Hinc vero quia inter bastardos, naturales, ac spurios, tam insigne discrimen non est, amplius eosdem coniungemus. Romanorum quidem naturales vbi spectamus, in domo patria sustentabantur cum matre, ac non semper erant dubii, quia patrem demonstrare poterant. Nati erant ex muliere, quæ ad similitudinem vxoris habebatur. *antb. Licet. C. de natur.* Differentia autem adparet in eo, quod naturalibus de iure civili debeantur alimenta, aliis vero ex damnato coitu procreatis non debeantur. Hodie sicut in multis iuris articulis ad naturale ius rediimus, ita & heic propter æquitatem placita illa iuris Romani, de alimentis præceptis ac prohibitis, tam præcisè non obseruamus. Rittershusius *ii differ. iur. ciuil. & can. cap. vii.*

§. LIX.

Si tamen consideramus rigorem iuris civilis, vnde fuerit, maxime quod in reliquis non ita aduersetur liberorum conditioni ac statui, rationem plerique allegant studium & amorem castitatis, vt respectu atque intuitu sobolis propriæ stimularetur vnusquisque, ad eam tanto magis colendam, educandam & exornandam. Hic autem rigor inualuit adeo, vt nec per statutum contrarium tolli posset, ne fornicationi & turpi vitæ præberetur occasio. Baldus *conf. CCCCLVII num. 9.* qui *conf. præcedenti vol. 5 n. 10.* rem breuiter & sic enunciat: *iur. ciuilis in tantum amauit castitatem, vt destruxerit paternam pietatem: per quam scilicet naturaliter parentes obligantur*

ad alimenta, sicut modo vidimus. Accessit ad naturalem æquitatem, de alimonia illegitimorum, ius canonum, quod sequimur in his præcipue causis. Ex illo enim nouimus mitigatum esse rigorem iuris ciuilib, vt hodie spurriis ac nothis debeantur alimenta promiscue. Colerus *de alim. c. 3 n. 10* Carpouius *quæst. LXVIII crim. n. 105.* inprinuis si non habeant, vndè viuant. Nam licet spurrii sint, filii tamen sunt, qui sine parentibus esse non possunt. Atque hæc quidem ex æquitate naturali, & canonici iuris auctoritate, in sorte paupertina spurriorum, ne fame pereant. Contra si habeant aliunde spurrii, per quæ subsistant ac sustententur commode, pater ne alimenta quidem suppeditare tenetur. Hinc axiomata: *Spurio beneficiato alimenta non debentur.* quia viuere potest ex beneficio. Gailius *II obs. LXXXVIII g.* Bethius dissentit *c. VIII de pact. fam. illustr. p. m. 386.* ex illa ratione, quod alimenta liberis debeantur iure naturali, sintque instar legitimæ, competentis iure actionis. Conferatur Knipschild *cap. VI de fideicom. n. 234.*

§. LX.

In defectu igitur alimentorum pater omnino tenetur, eadem vt præstet. Fuerunt quidem superiori æuo inter Saxonicos iureconsultos, qui primo triennio, a partu edito, matrem obligari statuèrunt ad lac pariter & alimoniam: hoc autem elapsò stupratorem demum præstare alimenta deberè. Dan. Mollerus *ad consue. XXVII part. IV n. 2.* Probare volunt hanc sententiam *ex l. pen. C. de patr. pot.* inque consensum adducunt veteres, inprimis Accursium, Odofredum, Corneum. Verum ex dicta lege id non adparet, quia mater ibi, per sententiam doctorum magis communem, non nisi ad alimenta lactis adstringitur: quæ firmatur *ex l. 3 C. de lib. al.* vbi rescribunt

bunt diui fratres : patri imponendum, ut ex facultatibus, suis filio, quem mater enixa erat, alimenta det, nulla ætatis, nulla annorum distinctione adhibita. Quicumque adeo sumtus, præter lactationem, necessarii sunt, ante triennium absolutum, pater exhibeat, necesse est. Gabriellus *vi concl. tit. de alim. concl. 1 n. 20.* Finckelthaus *obs. cii n. 16.* Idem vult elector Saxonix in *const. xxvii p. 4.* Da eine ledige Mannsperson eine Jungfrau oder unberüchtigte Wittve beschläfft / und Er dieselbe zur Ehe nicht nehmen will / so soll Er Sie ihres Standes und Herkommens nach dotiren / und da Sie von Ihm Leibesfrucht hat / dieselbe auf gerichtliche Ermessigung alimentiren. dos quippe & alimenta sicut alias æquiparantur, *Gl. in l. 12 q. de prædij. min. conf. Manzii specialia in iure comm. tit. de alim. Meuius part. III decis. cccclxvii, 2.* ita heic se inferunt mutuo. Euerhardi *in loc. a dote ad alim. num. 1 p. m. 427.* Schilterus *exerc. III, 12.* Immo si stuprator nondum habet familiam propriam, aut etiam bona sua, parentes ad alendum filii partum obligantur. Addatur Carpzovius *parte IV const. 27. def. 5.* Berlichius *parte V concl. 28 num. 43.* Quid autem si mater vel non possit lactare infantem, vel propter generis dignitatem nolit? addatur Colerus *1 de alim. cap. 41 n. 6.*

§. LXI.

Hæc quidem de iure satis certa sunt, vbi pater illegitimus non ignoratur, aut etiam stuprum fatetur. Vulgata in hanc rem est sententia: Weil Beklagter sich zum Beschaffen / daß es acht Tage vor Weinachten geschehen / bekennet / so ist Er die Frucht / wenn Sie zur Welt geböhren / zu versorgen schuldig. Iam vero si reus stuprator negat factum, aut se non esse patrem, quid

porro iuris? Vtrobique debet fieri probatio, quæ propter confessionem stupratoris & indicia sufficientia, reiicitur in stupratorem: non quasi contra regulam neganti probatio imponatur, sed quia ille, qui negat factum, aut se patrem esse, affirmat implicite alium esse patrem. Siue igitur actor affirmet, siue reus affirmet excipiendi tenetur uterque, ut probet. B. Struuius *exerc. xxiiix, 6.* Hinc si deficiat reus in probatione, agnoscere partum cogitur, itemque ad nuptias aut dotem alternatiue, simpliciter vero ad partus alimenta obligatur. Ita Scabini in hac Academia anno 1603. apud Richterum *decis. lxxxviii. n. 25.* Das Beklagter das Kind vor das seine zu agnosceren/ und zu unterhalten / auch die Klägerin zu ehelichen schuldig/ er könnte denn/wie recht/darthun und erweisen/das ein anderer des Kindes Vater sey. Sed & si spurius in quasi possessione deprehenditur, sicut in probanda filiatione modo vidimus e. g. vbi quis dicitur ab omnibus esse stupratoris filius, inque fuga est, tunc lite pendente spurio de alimentis est prospiciendum, ex bonis fugitiui & absentis. Idem obtinet, medio tempore, quo disputatur cum stuprata, super matrimonio. Dn. Strykius *cap. II de decreto interimist. n. 84. 85.*

§. LXII.

Quod vero attinet ad matrimonium contrahendum, per stupratorem, id locum habet, quoties ante stuprationem liquido promissum est, atque idoneis argumentis probari potest. In dubio enim non sola puellæ confessio sufficit, neque ex favore matrimonii pronuncian- dum, in tali casu; secundum opinionem doctorum, quasi ad huius probationem leuiiores quoque præsumptiones sufficiant. Sed neque iuramentum purgationis reo defertur, nisi certa & indubitata sint contra negantem indicia.

Varic

Varie disceptatum antehac in foro Saxonico, an in casti dubio promissi matrimonii, si vel probabilia duntaxat indicia accederent, per hoc iuramentum conscientia rei debeat exonerari? donec elector *decisione LXXXI* illorum admisit sententiam, qui id ad vera indicia deferebant: **Daß auf die Bekandte Schwängerung wegen Versprochenener Ehe / das iuramentum purgationis, wenn nicht noch andere genugsame Vermuthungen vorhanden / nicht auffzuerlegen / damit dergleichen leichtsinnige Leuthe nicht Ursach nehmen / durch ihr unzüchtiges Leben desto ehe in Ehestandt zukommen.** Addatur ibidem *Philippi observ. II n. 35.* Carpzouius *III Iurispr. eccl. def. 47. & 50.* dissentit Brunnemannus *III iur. eccles. cap. 5 num. 8.* & ad rationes a Carpzouio allatas respondet.

§. LXII.

Intelligimus sic abunde, quibus in casibus pater debeat alimenta. At quando puella non cum vno rem habuit, sed post illum, quem nominavit patrem, mixta fuit pluribus, aut si per insanam libidinem, prouocauit stupratorem, nulla mentione facta nuptiarum, ex lege contrariorum, is ipse neque dotare, aut ducere illam, neque partum alere debet, tanquam vulgo quæsitum. *Surdus tit. 1 de alimentis. quest. 15. n. 21. segg.* Sunt quidem iureconsulti, & inter hos præcipue cardinalis Palæotus, qui *cap. XLVIII de nobis ac spuris, n. 3.* existimat, vulgo quæsitus, non aliter quam veris liberis alimenta deberi a patre: sed confutat hanc opinionem *Garfias cap. III de expens. & meliorat. n. 21.* quia pater in dubio non potest demonstrari, siue ut *P. AEmilius Gallus in rubrica exceptionum, circa success. ab intest. n. 70.* loquitur: quia tales filiorum nomine sunt indigni, & *genitores illorum non possunt*

possunt nominari parentes. Richterius *l. c.* varios casus, atque sententias conduxit: quorum pertinet facti species, si mater nouerit, stupratorem prorsus egenum, & ad alendum esse imparem. Neque hinc parum contra illam facit, quod ex mera libidine cum stupratore concubuerit, nulla intercedente affectione, aut spe matrimonii. Carpouziius *p. IV const. 27 def. 11.* Und wird die Gefangene/ wenn Sie Ihr Kind lebendig zur Welt geböhren/ darauff selber bedacht seyn / wie Sie Ihrem Kinde / weil der Stuprator nichts in Vermögen hat / und Ihm also unmöglich das Kind zu alimentiren / Unterhalt verschaffe. Iungatur de primo stupratore, si plures fuerint Berlichius *p. v concl. 38 n. 40. seqq.*

§. LXIV.

De tempore quaestio est, quamdiu sic alendus? item de quantitate, ne vel pater contra facultates grauetur, vel partus egeat. De hac respondet elector Saxoniae *citata parte IV const. 27.* daß das Kind lebendig zur Welt geböhren auf gerichtliche Ermäßigung zu alimentiren. Ita vero sapientissime statuitur, quia plures circa partum dubium incidunt circumstantiae, quae non tam a lege, quam iudice determinari possunt. Neque tamen iste tutior erit, in quantitate definienda, quam si ex re iudicata in simili casu decernat, aut ex scabinorum sententia pendeat, sicut apud sortis mediocris homines quatuor grossos legimus quothebdomadis in prouisionem, datos a stupratore, wöchentlich vier Groschen oder jährlich 10 Gulden. Summa autem ista, pro dignitate & competentia personarum, in duplo ac triplo quoque potest augeri. Tempus perinde iudicis arbitrio relinquatur, quia propter indolem eiusmodi liberorum, propter incertitudinem locorum & alimentorum, imprimis anno-

næ diuersitatem, certa regula constitui nequit. In genere pronunciant aliqui, *bis es sich selbst ernehren kan*: Finkelthaus *observ. cii, 19.* alii ad pubertatem respiciunt, *bis es das drenzehende Jahr seines Alters erreichet.* Carpzovius *quest. crim. LXXIII, III.*

§. LXV.

Liberorum ex damnato coitu procreatorum durior est conditio, per leges quidem Romanas, imprimis *avtb.* ex complexu. *C. de incest. nupt.* item *Nouellam xxxiv cap. vi atque lxxxix cap. xv.* Vnde patet luculenter, quod ex incestu, aliove prohibito congressu, natis alimenta non debeantur. Rationes addunt, quod sic omnis memoria delicti nefarii aboleatur, & parentes pro naturali affectu erga suos, liberorum potius, quam propria terreantur miseria *l. 8. ff. quod met. caus.* Hinc inferunt porro: alimenta non ex odio liberorum negari, quorum nulla sit culpa, sed ex odio parentum. Dn. Strykius *cap. II de foro consc. num. 71. seqq.* Sunt tamen qui de iuris ciuilibus dispositione statuunt aliter, quasi nec per illam alimenta prorsus denegentur eiusmodi liberis, sed ea tantum, sine quibus vita ipsis alia ratione conseruari queat. Brunne-
mannus, *ad avtb. citat.* Mæstertius *II de iustitia LL Rom. dubit. VII* rem clarius exprimit: alimenta ex damnato etiam coitu natis debentur iure ciuili, quod nusquam præcipit necare eiusmodi liberos: quamuis non permit-
tat lautiora, sed modica duntaxat, & naturæ conseruan-
dæ suffectura. Quemadmodum vero superius paullo de-
clarauimus mores hodiernos, secundum quos respicimus
in certis articulis, ad naturalem æquitatem magis, quam
ad placita iuris ciuilibus, ita & heic per naturam alimenta
natis deberi statuimus, quamuis liberi ex nefariis, ince-
stis, ac prohibitis nuptiis suscepti sint. Hartmannus Hart-
manni

§. LXVI.

Præcos huius fundamentum de sententia communi est *cap. quintum X. de eo qui duxit in matrim.* in quo si casus fuerit explicatus, reliqua erunt manifesta. Scilicet matrimonium quis cum adultera contraxerat, quam & per adulterium polluerat, v̄t legitimam haberet uxorem. Crimine hoc patrato, vocatus in ius remouit adulteram, iureiurando addito, sibi nullum posthac fore cum adultera vel pellice consortium: quo tamen iureiurando violato adulter innoxiam reduxit, cum illa matrimonium viuente uxore porro contraxit, & aliquandiu cohabitauit. Uxore mortua, matrimonium continuauit per decennium liberosque decem ex adultera procreauit. In tali casu rogatus papa, vt responderet de iure. Clemens III, auctor capituli, iubet sic pro auctoritate decernendi in causis matrimonialibus, vt consortium hoc dissoluatur, poenitentia vtrique perpetua indicatur, & liberis alimenta pro modo facultatum vtriusque parentis suppeditentur. Hinc vero *clementiam alii & æquitatem canonicam* demonstrant, qui liberis ex damnato coitu natis alimenta deberi volunt. Modus ex parentum facultatibus æstimatur, ita vt quo plus mater aut pater habet, eo plus etiam conferat, in causa alimentorum. Addatur Heraldus *l rer. quotidian. cap. III n. 11.* De coniugio adulteri cum adultera, post mortem legitimæ uxoris, Finckelthaus *observ. XXV.*

§. LXVII.

Neque vero desunt iterum, qui naturali & canonica æquitate non opus esse censent: quod hisce nimirum liberis prospiciatur satis in iure ciuili. Sententiam moralistarum

starum, vt vulgo audiunt, produximus ex Brunnemanno. Qui hoc ex iure nouellarum docent, ibi tam ex intentione legislatoris, quam legis ipsius ratione commonstrant, potissimum agi, vt parentes videntes progeniem suam in tantas arumnas ac difficultates nasci, ne quid ex bonis parentum capiat, a prohibitis nuptiis absterreantur, & ad legitimas conuertantur. Nam ex solo parentum odio nec auferri posse alimenta, nec parentes quoque alimentorum onere leuari. Quam enim misericordiam ex affectu naturali putant torquere parentes, in statu prohibita alimoniz, illa non sufficit ad iustas adpetendas nuptias: *arg. l. 7 C. de natur. lib.* Cuiacius proinde nec probatur omnibus, quod *lib. 7 obs. cap. vi.* ex laudatis constitutionibus Nouellis existimauerit, liberos esse indignos alimentis, qui tam nefarie sint prognati. Verum in hisce casibus, ac similibus, non spectamus, quid interpretes ex lege procudat, sed quid in lege contineatur, & vsu quotidiano, siue forensi. *Surdus tit. I de alim. quest. 8. n. 28.*

§. LXVIII.

Adulterini igitur huic quoque pertinent. Etenim si adulter est, qui alienam matremfamilias libidinosè corrumpit, adultera vero, quæ prostrato omni pudore fedus connubiale violat, adulterini erunt utique ex prohibita coniunctione procreati. Differentiam non repetimus, quando vir contra fidem vxori datam, aut scorta aut coniugatas etiam sectatur, feminas: quia satis est nobis, virum non seruasse fidem in federe connubiali, & sic procreasse illegitimos, qui in *Nouella LXXIV. cap. fin.* dicuntur *odibiles Imperatori*, propter nuptias ab Imperatore prohibitas. Cum his pari gradu volunt consistere sacerdotum filios, durante sacerdotio procreatos. Quod autem obtinet alias de iure canonum, vt incestuosi pariter cum reliquis

alantur, idem concedunt de filiis sacerdotum, v̄t nimirum alantur de redditibus sacerdotii. Rationem canonici doctores reddunt, quod clericus male agat, postquam suscepit filium, si paupertati non subueniat, aut gnatum inde perdat. Palæotus *sub fin. cap. xvi de spur.* Colerus *l de alim. cap. III.*

§. LXIX.

Expositorum alimenta paucis adhuc tangere iuua-
bit. Pro nothis habentur v̄t plurimum, propter fraudes
meretricias, & crebras expositiones. Supra de aliis cau-
sis egimus. In præfenti quaeritur, cui sit onus imponen-
dum alimentorum? Romani quidem nos dimittunt ad
misericordiam publicam fontem *l. 4 ff. de agn. & alend. lib.*
postremis temporibus ita fuit quaesitum: an cura hæc ali-
mentorum magis ecclesiasticarum rerum administratori-
bus, an iis competat, qui ex iurisdictione sperant com-
moda? Respondebatur in vtramque partem varie. Ec-
clesiasticis regulariter expositos commendabant, propter
reditus in xenodochiis, & propter beneficia pauperum,
item singulares orphanorum ædes, vulgo brephotrophia
dicta: in quibus eiusmodi sortis homines alerentur &
educarentur. Neque caret ratione hæc sententia. Vbi
autem talia non sunt beneficia, & publica domus paupe-
rum alendorum, ibi recte commendantur expositi domi-
nis iurisdictionis, vel territorii. Crimen enim hoc &
cognitionis, & executionis intuitu spectat ad iudicem su-
perioiorem. Iam vero qui fructus iurisdictionis expectat,
ille pariter onus alimentorum sustineat necesse est. Fin-
kelthaus ex his & aliis concludit argumentis *obs. lxxxvi*
n. 46. Nobiles nostri *hoc onus alimentandi, tanquam iu-*
risdictionis domini, male rusticis ac toti communicati ob-
trudere conantur.

§. LXX.

Atque hæc de alimentis, iure debitis. Sicut autem ea debentur filiatione probata, aut lite adhuc pendente ex actione præiudiciali, siue iure personali pro adherendo statu alicuius & conditione ciuili instituta *l. 9 C. de liber. caus.* §. 13. *l. de action.* ita pro alimentis impetrandis certus quoque modus conceditur, nimirum summarius, quod processus, quem vocant ordinarium propter ambages & diuturnitatem non quadret ad alimenta, quæ sunt momentanea, & ad hominem conseruandum necessaria. Paul. AEmilius Gallus *parte 2 de exceptionibus circa success. ab intest. tit. IV except. XIII n. 29.* ex decretis ac sententiis Rotæ Romanæ: *Causa*, inquit, *alimentorum est priuilegiata, respectu processus ac probationum inprimis: quia in hoc summarie proceditur, omnis dilatio reiiicitur, nec terminorum obseruatio admittitur.* Ita non solum in foro Saxonico causa alimentationis est summaria, & extraordinaria, Carpzouius *tit. I process. art. I n. 48.* sed & in summo imperii iudicio camerali *part. III ordin. tit. III. §. so eine Parthey begehret Leibesnahrung.* Et hic processus obtinet fere pro impetrandis siue futuris alimentis, ne quis fame pereat. Knipschild *cap. XI de fideicom. n. 317.* implorato nobili officio iudicis. Aliud est, si petantur alimenta præterita, & quidem iure actionis. Sic enim causa non sine strepitu agitur, & ordinaria fit. Gratianus *discept. for. XXXIII, 22. seqq.* Totius alimentarii processus rationem & ordinem *III de alim.* quindecim capitibus integris exponit Martinus Colerus, quinus instar omnium esse potest.

§. LXXI.

Superest vt in causa veluti connexa progrediamur ad iura hereditaria, ac demonstremus, quousque dubiis

& illegitimis liberis ea conueniant. Neque enim pauca lites ab his motæ, quæ turbis & conuerſionibus anſam præbuerunt, in cauſis præſertim feudalibus. Illuſtris Dn. ab Ändler II *iuriſprud. tit. X.* inſignem declarat caſum, ubi de probatione agnationis, filiationis, & legitimitatis plura: ex quibus adparet, quomodo iterum probata filiatione ius emergat in ſuccedendo. Quamuis autem quis heic excipere poſſet, in caſu præſenti de legitimis agi potiſſimum: interim tamen negari vix poteſt, de liberis quoque & heredibus dubiis ibidem agi. Si de illegitimis dubitatur, porro quarunt: an non legitimatione facta reſtituantur in ſtatum, quo gaudent legitimi heredes. Id quod omnino affirmatur, maxime ſi per ſubſequentis matrimonium legitimentur, cuius fauor eſt tantus, vt cuncta præterita vitia tollat, ex ficta iuris retrotractione, quaſi eiuſmodi liberi ab initio natiuitatis fuerint legitimi. Hanc tamen fictionem non tam iuris, quam interpretum eſſe voluit, & ſic proniſcuc non admittunt. Strauchius *differſ. luſſin. IV. §. 9.*

§. LXXII.

Alii ſunt modi ad huc legitimandi, per quos expectatur ſucceſſio: ſed non ſufficiunt omnes. Ita non ſemper poteſt diſpenſare pontifex in hac ipſa cauſa, quamuis id faciat. Neque enim valet diſpenſatio, ſi fiat ad circumſtantias præcipuas non expreſſas. Caſum proponit Dn. Strykius *differſ. I de ſucceſſ. ab inſeſt. cap. 2 §. 70.* Immo ſi diſpenſatio facta eſt, cauſa prorsus cognita, tamen non niſi quoad ſpiritualia, non quoad ſucceſſionem in temporalibus valet, und ſind dergleichen Kinder / cum ſore ſupratæ concubinæ erzielet / in der ſucceſſione feudali nicht zuzulaſſen / ſondern davon gänzlich zu excludiren / auch die ergriffene poſſeſſion hinvieder zu caſſi-

caffiren/und die gedachte Kinder die occupirte Lehen-
Güter cum fructibus perceptis, ac percipiendis zu resti-
tuiren schuldig. Ac licet in territorio princeps eadem
gaudeat potestate legitimandi, vi iuris sacrorum, tamen
si iusti extiterint liberi ante legitimatiōem propter ius
quæsitum prævalent. Contra si legitimati sint ante natos
alios, æqualiter succedunt, propter maculam sublatam:
immo & propter ius fuitatis legitime quæsitum præcel-
lunt. Gailius II *obs.* 142. n. 5.

§. LXXIII.

Beneficium hoc iuris primum videtur indulgisse Cæ-
sar Iustinianus, *Novella LXXIV.* qua de variis legitimandi
rationibus præcipit: vtut ad hanc eandem notauerit Cu-
iacius antea similiter principum rescriptis datam fuisse le-
gitimationem, ad dubium statum tollendum. Et qui-
dem valebat legitimatio regulariter, si per eam restitu-
erentur naturales: quorsum haut adspirabant spurii, vel
alii etiam liberi, qui nullum ius matrimonii, respectu pa-
rentum, ad sese legitimandos adducere poterant. Exem-
plo sint nati ex adulterio, vel incesto, quorum parentes
obligati erant iustis nuptiis, illi natalibus vel ideo restitui
nequeunt, nisi fingantur nuptiæ. Iam vero inter femi-
nam & plures stupratores, inter vxorem & adulterum, ci-
tra polygamix crimen, ius matrimonii non datur. Qui-
cunque igitur ex tali sunt procreati coniunctione, illi
nec debent censerì ex legitima coniunctione nati: quare
nec legitimantur secundum communia. Ratio est, quia
leges diuinæ ac naturales abhorrent a polygamia, con-
tra quas nihil potest suprema potestas, pro illis autem.

ius humanum, siue quatenus ex illo quid obest matrimonio contracto. Dn. Strykius *l. c. n. 71*. B. Zieglerus *de iur. maiest. cap. x.*

§. LXXIV.

Quidquid autem sit de legitimatione, per quam illegitime nati fiunt habiles ad hereditatem acquirendam, siue totam siue in partibus: nos ex instituto obligamur ad pauca, quatenus illegitimi, citra legitimationem, considerantur in iure successionis. Naturales de significato quidem ac sensu Romanorum ex concubina nati heredes legitimi esse non poterant, siue ab intestato succedere. Quamuis enim patrem haberent, non tamen ex iustis nuptiis habebant: vbi autem iustæ non erant nuptiæ, ibi neque agnationis neque successionis ius obtinebat. Per *Nouellam* vero *xviii cap. v.* id consecuti sunt, vt si nulli existerent liberi & heredes in domo legitimi, nec iusta vxor esset viro superstes, præter nutrimentum debitum cum matre ex bonis patris naturalis, siue ex asse acciperent duas vncias. Richterus *sect. 1 de success. ab intestat. memb 3 n. 9.* In reliquis decem vncias succedunt, qui sunt sanguine propinquiore. Sequitur inde ex aduersa ratione, quod viuis legitimis liberis, aut vxore legitima, prorsus a successione excludantur naturales. Alimenta præstantur ex *Nouell. lxxxix cap. 12.* Quod autem in testamentis scribi heredes potuerint, indubitati iuris est. Elegans est casus *in l. 45 ff. de vulg. & pupill. subst* qui ex *Nouella* citata illustrari potest. Pater scilicet filium legitimum cum fratre naturali, ex concubina suscepto, instituit heredes, eosque inuicem substituit. Legitimo autem mortuo post annum, superstite vxore & matre legitima, frater naturalis succedere non poterat iure substitutionis. Ratio est, quia hæc subsistit, ac firmitatem habet

habet ex patria potestate, in qua tamen filius naturalis esse vix poterat. Mater præterea legitima superstes obstabat heredi naturali. Heraldus *l. quotidian. cap. 1 §. 6.* Atque hæc de successione paterna: in materna cum legitimis æqualiter succedunt. Dn. Strykius *diff. 1 de success. ab intest. c. 2. §. 52.*

§. LXXV.

Hodie post sublatum concubinatum, quia naturales cum spurii ac nothis eodem fere passu ambulant, quaeritur: an & eodem iuris Romani beneficio gaudeant in bonis paternis? Distinguunt hic doctores: aut spurii heredis pater certus est, siue ex confessione, siue probatione meretricis, tunc utitur iure naturalis filii: aut pater incertus est ac dubius, quia contra spurios militat semper incertitudo patris, tunc ad successionem admittendus non est. Carpzouius *p. 1v c. 28 d. 6. n. 3.* Ratio satis liquida videtur, quod ubi pater non est, ibi nec ius sit hereditatis, quæ ex iure civili defertur. Iam vero hoc ipsum, congressui prauæ libidinis, vnde spurii nascuntur, maxime aduersatur. Aliter iterum statuamus oportet, si de successione in bonis maternis quaestio sit. Hæc enim semper certa est, quare non tantum partus eiusmodi dubius ventrem sequi dicitur, siue in bona succedere matris, sed & in omnia bona adscendentium ex matre *l. 8 ff. vnde cogn.* Excipiunt spurium a iure hoc vniuersali si mater illustis habeat illum, quod per legitimos excludatur ab hereditate, *l. pen. C. ad SC. Orphis.* Mater tamen in hoc casu succedit spurio. Addatur Guido Papæ *quæst. cclxxx.* Mylerus *cap. xxiii. gamol. n. 4.*

gatur. Antonius Faber *tit. II iurisprud. Papin. princ. II
illat. I.* in contraria est sententia. Præcipuum eius argu-
mentum est, quod naturales & spurii in nulla extiterint
familia & sic neque ciues fuerint. At qui non sunt ciues,
nec beneficiorum iuris ciuilibus sunt participes. Vbi no-
tandum quod, per sortem nascendi dubiam, in familia
quidem certa patris non extiterint, familiam tamen ipsi
habuerint, pro conditione sua, & sic quoque ciues fuerint.
Quicumque enim sui iuris est, siue qui alienæ familiæ
non est subiectus, ille propriam habere potest. Iam ve-
ro tales sunt naturales, tales sunt nothi ac vulgo quæsiiti.
Contra hanc sententiam pariter stat praxis in foro Ro-
mano, per quam spurii legatorum fuerunt capaces. Ac-
cedit ius expositorum, de quorum origine & familia
nunquam non dubitabatur. Sed hi pariter non tantum
ciues erant & iure ciuium acquirere poterant, verum aliis
quoque in testamento relinquere, quæ volebant *l. 3 C. de
infans. expof.* Heraldus plura cumulat *l. c. cap. 2. n. 7. seq.*
conf. Palæotus *cap. XL de nobis & spuriiis.*

§. LXXVII.

Qui supersunt ex damnato coitu suscepti liberi, non
vno modo possunt dignosci. Licet enim damnatus coi-
tus in genere dicatur, contra quem criminalis accusatio
institui & seuera etiam pœna infligi queat: hunc tamen
in specie referunt adulterinos, sacerdotum filios ex in-
cestu natos. Horum omnium in iure successionis pessima
est conditio, nam neque patri, neque matri ab inte-
stato succedunt. Immo hæcque inter viuos, neque inter
mortuos, quidquam ipsis vel directe vel indirecte potest
relinqui. Rittershusius *part. VII Nouell. cap. VIII num. 5.*
Differentiam supra monstrauimus, quatenus cum soluta
cohabitabit maritus, aut conjugata. Priori casu existimant
aliqui

aliqui, natos ad successionem matris admitti debere siue ex testamento, siue ab intestato. Ant. Faber *¶ 1 C. tit. xxxi def. 8.* Contra hunc videantur quæ habet Dn. Strykius *l. c. n. 57.* An & alii sanguine propinquii scribere heredes possint ita natos, citra querelam inofficiosi dubitatum fuit, e. gr. Si matertera institueret filiam sororis ex marito alterius generatam, quando adhuc foret soluta. Hartm. Pistor. *part. 1 quæst. xxx.* negatiuam tuetur, quod fratribus & sororibus eiusmodi personæ natiuitatis macula laborantes præferri nequeant. De posteriori casu facile consentiunt interpretes. Addatur ex schedis aduersariis Wessenbecii Colerus *l de alim. cap. 3. n. 51.*

§. LXXVIII

In casu Erfordienti matrimonium describitur erroneum siue putatiuum, ex quo liberi prodeunt habentur pro legitimis heredibus. Ratio est, quod iustus error parentes excuset, quoties ignorant, aut scire omnino non possunt, sibi nullo iure permissum esse, vt matrimonio coniungantur. Filius enim, qui duxit filiam suam, ex matre natam, non aliter duxit, quam extraneam, & cum qua ius connubii se habere putauit: si tamen scire parentes incipiunt, sese nullo iure amplius cohabitare posse, tunc in incestu viuere incipiunt, liberi autem antea nati pro legitimis agnoscuntur. *cap. 2. X. qui filii sine legitimi.* B. Struuius *cap. ix syntagm. feudalis apb. 3 n. 14.* tales quoque in feudis succedere docet. conf. Dn. Stryk *l. c. n. 51.* Reliquis incestuosus omne beneficium iuris denegatur in bonis parentum. Quæ ratio fuit in denega-

creatis *vi huius §. nihil possit legari a parentibus, tamen ab extraneis dari illis ac legari potest*, ex commiseratione nimirum, quæ nulla lege est prohibita. Immo ex eadem causa dicunt, parentibus licere ubi necessaria velint incestuosis alimenta legare, modo ne abundant, & ex munificencia singulari fiant.

§. LXXIX.

Pauca hæc & exigua possunt sufficere, in palastra academica, ad exercendas ingenii vires. Non alio fine ex ampla silua breuem collegi materiam, nec plura addere themata volui. DEVS omnium conseruator ac studiorum promotor cœlestis largiatur porro, quæ ad æternam nominis diuini gloriam, ad commoda & incrementa ciuium sunt profutura. In præsentem autem quod tam benigne mihi præsto fuit, ipsi deuotissimas ago gratias, easque semper agam, vsque dum vixero in pietate & cultu sincero.

Gloria Summo!

NOBILISSIMO IUVENI
DN. IO. DANIELI KRAVSIO
iuris cultori praclaro

S. D.

GEORGIUS SCHVBARTVS.



Gregæ sunt animi dotes, quibus TE natura instruxit. In studiis humanioribus, inque philosophia, præter elegantiam ac dignitatem litterarum, veritatem testaris atque scientiam, in iure autem colis æquitatem ac iustitiam. Pauci hæc ordine coniungunt, & optato successu prosequuntur. Alii enim sine litteris ac philosophia, adeoque manibus illotis, hæc sacra tractant, & sic non raro deficiunt, ubi occurrunt argumenta, ex doctrina interiore dignoscenda. Sunt contra, qui inanibus quibusdam vocabulis inhærent, & quod sint minus recepta, ex iisdem apud imperitos sese iactant, tanquam subtiliores, vera iuris tractatione ac philosophia profus neglecta. Mediam TV viam insistis, & illa complecteris, quæ usum præstant certum in superioribus, ita formatus in gymnasio patrio, vnde non nisi bene præparatos ad nos transiisse novimus. Quid autem hinc porro in cultiore iuris prudentia, per triennium fere, quo nobiscum fuisti, effeceris, aut quousque in hac eadem processeris, ex specimine præsentis adparet satis: quod licet non secundum perfectam in hisce studiis methodum, sed per theses tantum, ex fertili materia collectas proposueris, tamen eruditus placebit. Neque enim curas illud genus hominum, qui soli sapiunt, & sic reliquos præ se adspernantur superciliose. In habitu vitæ, si plura adderem, haud dubie minus responderem voris, quia per dogma stoæ magis re, quam verbo, aut laude alterius, bonus, modestus, ac probus esse studeo. Sic vero semper egisti carus nobis, sic in posterum gratus eris patriæ, & omnibus, qui senile quid in iuvene amant, & ad futura commoda adplicant. DEVS, qui huc vsque ceptis præsto

Sonnet.

Nolocke deinem Sohn du edles Vaterlandt!
Der sich die Tugend hat zum Leitstern außersuchen/
Die kluge Pallas heist Ihn neben sich nun stehen/
Und macht auch dessen Fleiß durch Künste Prob bekandt.
Sie schreibet seinen Ruhm nicht in den leichten Sandt.
Den eine rauhe Luft gar leichtlich kan verwehen/
Es schmücket Fama sich/ und will nun bald aufgehen
Zu tragen solchen Ruhm bis an den Tauberstrandt.
Drüm auff! ermuntert Euch Ihr klugen Kastalinnen/
Und wünschet nun mit uns aus Kräfften eurer Sinnen:
Der Himmel gebe Glück/ und streue Segen aus.
Es soll / hochwehrter Freund! Ihm stete Freude blü-
hen/
Der gelb-bezähnte Neid soll Ihn nicht mehr bemühen/
Und seines Fleisses Ruhm schall' an der Sternen Hauf.

Dieses wolten aus wohlwelmendem Gemüthe
glückwünschend besetzen

Die sambtl. Landes-Leuchte.

TELA NAZ.
ROMA
MDCCLXXII

